Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/delegatisetlegat0000vlad

De Legatis et Legationibus Tractatus Varii.

Bernardi de Rosergio Ambaxiatorum brevilogus,
Hermolai Barbari De officio Legati,
Martini Garrati Laudensis De Legatis maxime principum.
Ex aliis excerpta qui eadem de re usque ad annum MDCXXV scripserunt.

Edidit

Vladimir E. Hrabar
Juris gentium in Academia Dorpatensi (Jurievensi) professor.

ALMA COLLEGE
348.733
LIBRARY
H858
Alma, California

Dorpati Livonorum
E Typographeo Mattieseniano
MDCCCCV.

23452

Оттискъ изъ „Ученыхъ Записокъ Императорскаго Юрьевскаго Университета“ 1905 г.

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

Liber qui nunc in publicum prodit, iam quinque annis ante inceptus est. Cum enim anno MDCCCXCIX Bernardi de Rosergio codicem in catalogo librorum manu scriptorum Bibliothecae Nationalis Parisiensis inveni et perlegi, omnino dignus esse visus est qui ederetur. Eodem anno editionem operis me curaturum esse promisi [1]). Jam insequente anno codicem prelo tradidi, paratum tamen in lucem edere non placuit. Consilium enim erat, editioni alios tractatus de legatis et legationibus eodem saeculo XV a variis auctoribus conscriptos adiungere, quo facilius opus hoc Bernardi cum aliis eiusdem aetatis tractatibus comparari et iuste aestimari posset. Tractatus Martini Garrati Laudensis et Hermolai Barbari (hunc ex Codice MS. Vaticano) integros, ceteros in excerptis editioni adjunxi. Postremo visum mihi est etiam tractatus saeculi proximi et XVII usque ad annum MDCXXV quo celeberrimum illud Hugonis Grotii opus *de iure belli ac pacis* apparuit notare et in excerptis eidem collectioni addere. Itaque quicquid de Legationum

1) Revue de droit internat. et de la législ. comparée t. XXXI (an. 1899).

iure a scriptoribus ante-Grotianis in publicum prodiit, in hac collectione congestum invenies.

Ut lectoris labori parcatur, quam plurima excerpta ex minoribus tractatibus quos haud facile in bibliothecis invenias, feci. Ex maioribus summaria sola deprompsi, excepto Hermanni Kirchneri tractatu de Legato, quem, quia post Alberici Gentilis opus de Legationibus primum locum tenere videtur, latius exposui. Quod idem si non feci, cum ex preclaro illo opere Alberici summarium solum edidi, nulla ex alia causa id factum esse existimes, quam quod maxime necessarium esse videbatur, ut Alberici opus separatim et integrum ederetur.

De iis solum tractatibus hoc libro mentionem facio, quos ipse vidi. Bibliothecas, ubi asservantur, suis locis memini. Optime enim mihi notum est, quam difficile sit librum quem velis statim invenire. Ne plura dicam, unum tractatum Heremiae Setseri decem annos frustra pervenatus sum Parisiis, Londini, Oxonii, Bruxellis, Matriti, Monachii, Berolini, Francofurti, multis aliis locis, dum denique Dresdae exemplar huius operis inveni, et paulo post alterum Petropoli. Non minus laboris adhibui, dum editionem Argentoratensem tractatus anonymi cuiusdam auctoris qui *Quaestio Vetus & Nova* intitulatur nanctus sum. Unicum exemplar Petropoli inveni, idque corruptum, cuius ultimae paginae desiderantur.

In exponendis tractatibus, quantum fieri potuit, ipsis verbis auctorum usus sum. Quae in tractatibus non leguntur, sed a me vel addita vel mutata sunt, uncis [ ] inclusi.

Bibliothecas, ubi singulos libros, quorum in hac collectione mentio fit, inveneram, hoc modo signavi:

P. — Bibliotheca Publica, Petropoli
P. Ac. — „ Academiae Scientiarum, ibid.
Br. M. — British Museum, Londini
B. N. — Bibliothèque Nationale, Parisiis
S^t Gen. — „ St. Geneviève, ibid.
Oxf. B. — Bibliotheca Bodleiana, Oxonii
M. HB. — Hof- und Staatsbibliothek, Monachii
M. Un. — Bibliotheca Universitatis, ibid.
Dr. — „ Publica, Dresdae
Madr. — Biblioteca Nacional, Matriti
Bonn. — Bibliotheca Universitatis, Bonnae
Basel — „ „ Basileae
D. — „ „ Dorpati Livonorum

Erat in mente huic collectioni vitas auctorum cum notis ad singulas editiones operum adiungere. Ne tamen longius liber hic in tenebris lateat, infectum in lucem emittere placuit. Quod vitium in supplemento vel in editione altera me sublaturum esse spero. Nunc solius Bernardi de Rosergio vita cum operum eius catalogo subiungitur (ex Nicolai Bertrandi opere *de Tholosanorum gestis*), quia auctor noster omnibus qui de iure gentium scripserunt omnino ignotus mansisse videtur.

His praemissis librum in lucem mitto. Nonnullis fortasse rem gratam feci. Accipe, igitur, Lector Benevole, hanc collectionem scriptorum, quam haud parvo cum labore ex numerosis iuris voluminibus compositam, ad te mitto, a te emendandam et corrigendam. «Ego vel ad inimici vocem non refugiam emendari, imo et amicum ducam qui meum castigabit errorem» (Joan. Saresberiensis, Polycraticus, Prologus ad lib. I). Vale.

Dab. Dorpati Livonorum d. 15. mens. Junii anno MDCCCCV.

V. H.

Corrigenda.

Pag. 1. et p. 3. lin. 1. lege: Ambaxiatorum.

Pag. 4. lin. 36. lege: negotiantur. Vel ab effectu officii dicitur ambaxiator, quia ambigua etc.

Pag. 111. lin. 22. lege: Dedicace.

Pag. 152. post num. I. adde:

L'Ambas|sadeur. | Par le sieur **de Vill. H.** | M. D. C. III.

[8° (foll. 4 = Titre, Epistre à Villeroy, Préface au Lecteur, Sommaire) + pp. 112.]

[**B. N.** *E 2337; **Oxf. B.** 8° F. 16 Art.]

Bernardi de Rosergio (du Rosier)
Vita et opera.

Nicolaus Bertrandus, utriusque Juris professor, in opere suo *De Tholosanorum Gestis ab urbe condita,* impresso Tholosae anno Domini millesimo quingentesimo XV[*]) haec de auctore nostro scripsit (fol. XLVIII):

„De domino Bernardo de Rosergio summe doctrine ac bonitatis viro duodecimo tholose archiepiscopo.

„. . . a nobis crebro visus probus moribus scientia magnus tholose miraculis floruit: dietimque floret . . . cum esset canonicus regularis in eadem sancti stephani ecclesia atque tholosanus ciuis et oriundus: habitum diui augustini suscipiens: vir vtique pius: misericors in pauperes quandam humilitatis sagittam ferebat. Si irascebatur non peccabat: magno utebatur benignitatis temperamento: fere omnia largiebatur pauperibus: et puellis virginibus maritandis: atque mulieribus pregnantibus: et viduis alendis: cum quibus grandia dominus miracula ostendere dignatus est. Vtinam tholosa tales haberet successores . . . Erat enim is de rosergio antistes sanctus litteris latinis apprime eruditus: in rota rome et coram toto cardinalium cetu summique pontificis sermones fecit: et orationes plurimas librosque pene infinitos edidit: utriusque iuris doctor et magister in theologia per XXX annos continuos fecit cursus suos in alma vniuersitate tholose studii tholosani audiendo et legendo: legitque per XX annos doctor ordinarius et regens: in facultate iuris canonici repetitiones et disputationes publicas tenuit . . . atque tunc temporis audiendo legendo cursus suos in facultate sacre theologie in eadem uniuersitate compleuit: et post completam lecturam suam doctoralem ordinariam canonum comes illustris in eadem uniuersitate

*) Asservatur Nic. Bertrandi opus in Bibliotheca Nationali Parisiensi (Réserve LK^{7}_{9721}).

tholosana cum solemnitate debita et cum litteris magno et autentico sigillo memorate vniuersitatis tholosane sigillatis comes sacrorum canonum fuit pronunciatus et honoratus: et per eum fuerunt dictati compilati et publicati libri sequentes ad immortale nomen fame glorie et honoris eiusdem: qui suo tempore fuit per ordinem et successionem canonicus claustralis in adolescentia sua. XVIII anno etatis sue: et cum magna deuotione ipsius et parentum suorum mundum dimisit iam tunc bacallarius in legibus: sanctamque religionem canonicorum regularium ordinis sancti augustini in metropolitana ecclesia regulari tholosana ingressus est, et expresse professus: postea archidiaconus . . . deinde infirmarius consequenter cancellarius et postea prepositus eiusdem ecclesie tholosane effectus. Demum ad romanam curiam personaliter accedens temporibus dominorum summorum pontificum Eugenii pape quarti: et Nicolai pape quinti fuit referendarius apostolice sancte sedis: ac cum prepositura predicta fuit episcopus basatensis [d. 23. mens. Januar. an. MCCCCXLVII]: postea episcopus montisalbani [d. 26. mens. Januar. an. MCCCCL]: demum archiepiscopus tholosanus per capitulum dicte ecclesie metropolitane tholosane vnanimiter postulatus et per dominum Nycolaum papam quintum rome confirmatus canonice: et archiepiscopus tholosanus promotus et pronunciatus a clero et populo tholosano [d. 3. mens. Januar. an. MCCCCLII. Obiit Tholosae d. 18. mens. Mart. an. MCCCCLXXV].

„Hic ergo immense doctrine archiepiscopus preclaros edidit libros quorum nomina hic annotantur et describuntur.

„Super theologia sunt libri sequentes . . . compilati.

„Primo de laudibus beatissime virginis Marie volumen magnum solemniter in pargameno descriptum et illuminatum positum in cathena ferrea in choro metropolitane ecclesie tholosane: et in volumine predicto sunt septem libri sequentes intitulati ut sequitur . . .

„Secundum volumen aliud in pargameno in magna forma solemniter descriptum et illuminatum positum etiam in cathena ferrea in choro metropolitane ecclesie tholosane in quo volumine sunt III li. sequentes . . .

„Aliud volumen magnum sermonum dominicalium plurimorumque sanctorum tam coram romanis pontificibus et imperatore rome et coram dominis sancte romane ecclesie cardinalibus: quam in partibus clero et populo tholosano factis: et est cum cathena ferrea in libraria communi ecclesie tholosane positum.

„Aliud volumen sermonum etiam cum cathena ferrea in libraria communi ecclesie tholosane positum.

„Liber lecturarum in examinibus priuatis licentiandorum in theologia super quattuor libris magistri sententiarum in magno volumine.

„Super iure canonico sunt libri sequentes.

„Primo liber intitulatus volumen commentariorum super decreto et decretalibus in magna forma et in pargameno.

„Alius liber intitulatus liber inductionum super libro sexto in duobus magnis voluminibus: et in pargameno etiam in libraria communi ecclesie metropolitane tholose ac cum cathenis ferreis positus.

„Alius liber intitulatus tripertita consultationum in magno volumine et pargameno in libraria communi metropolitane ecclesie tholosane cum cathena ferrea positus.

„Alius liber repetitionum in sex studiis generalibus solemniter factarum in magna forma et in pargameno descriptus.

„Alius liber intitulatus de quadraginta duabus questionibus arduis in pargameno solemniter descriptus et illuminatus: etiam cum cathena ferrea positus in libraria communi metropolitane ecclesie tholosane.

„Alius liber solemnium principiorum in collatione egregiorum magistralium et doctorum: nec non arengarum ad plurimos reges, principes, et potestates in magno volumine et in pargameno.

„Super factis apostolice sedis et vniuersalis ecclesie sunt libri sequentes . . . compilati.

„Liber intitulatus rectiuum opinantium de amplitudine auctoritatis potestatis summorum pontificum sancte romane ecclesie sedis apostolice et regulatione generalium consiliorum vniuersalis ecclesie militantis.

„Alius liber intitulatus agoramus de sacro principatu.

„Alius liber intitulatus promptuarium ecclesie dei catholice.

„Alius liber intitulatus de statu auctoritate et potestate dominorum sancte romane ecclesie cardinalium et eorum collegii sacrosancti.

„Alius liber intitutatus de officio auctoritate et potestate legatorum a latere sancte sedis apostolice.

„Alius liber intitulatus paniscolentium scismatis excidium.

„Alius liber de extrirpatione inueterati scismatis in papatu romano; et de eiusdem scismatis in futuro cautela.

„Alius liber intitulatus de cauendis in generalibus consiliis et militantis ecclesie vniuersalis.

„Alius liber de veritate super apicibus ecclesiastice potestatis et pragmatica sanctione.

„Super diuersis aliis materiis.

„Liber de ecclesia gallicana et de prerogatiuis eiusdem.

„Liber alius intitulatus miranda de laudibus francie et de ipsius regimine regni.

„Liber alius intitulatus de attentato transportu persone domini dalphini viennensis.

„Liber alius intitulatus liber armerij siue de insigniis et armis.

„Alius liber intitulatus de arte blasonandi arma quorumcumque.

„Alius liber intitulatus ambexiatorum breuilocus.

„Alius liber intitulatus de vita et miraculis beati bernardi abbatis clareuallis cisterciensis ordinis.

„Alius liber intitulatus aurifria sancti thome de aquino . . .

„Alius liber intitulatus noua legenda Sancti bernardi de senis . . .

„Alius liber de viagio cruce signatorum contra thurcum crudelem christianitatis inuasorem.

„Alius liber intitulatus de visitandis parrochiis et de casibus reseruatis per ordinarios episcopos diocesanos.

„Alius liber intitulatus de annalibus ciuitatis tholose.

„Alius liber intitulatus secopiscus de naturalibus virorum et mulierum.

„Alius de duodecim signis et de septem planetis et de inflexionibus eorum.

„Liber additionum ad librum lapidum preciosorum.

„Liber historie magnifici karoli magni cum glossis solemnibus.

„Hec omnia ab eodem domino bernardo de rosergio fuere edita".

Hucusque Nicolaus Bertrandus. Nunc pauca de codice manu scripto Parisiensi[1]) in quo Bernardi de Rosergio opus huic collectioni insertum continetur. In codice illo invenies sex primos tractatus qui a Nicolao Bertrando (vide supra pag. IX.) inter libros Bernardi *super diversis materiis* scriptos enumerantur.

Ordine primus est tractatus qui *Miranda de laudibus Franciae* intitulatur, insertus foliis I—XII. Quia lectu dignus est, iureconsultis autem et politicis ignotus mansisse videtur operae pretium nobis visum est ex tractatu illo excerpta quaedam hic inserere.

[fol. 1.] Miranda de laudibus francie et de Ipsius regimine regni Intitulatur hoc opus quod offertur humiliter illustrissimo principi domino Karolo huius nominis septimo francorum xp̃ianissimo Regi. . . . compilatum et editum die prima mensis Januarij Anno incarnationis domini nostri Ihesu xp̃isti Millesimo quadringentesimo quinquagesimo qui fuit annus lubileus tempore Nicholay pape quinti.

Rubrice huius libri sunt iste.

De francia quid sit et qualiter diffiniatur.

De francia qualiter nominatur et quomodo interpretatur.

De quinque comendacionibus quibus pre ceteris regibus commendantur reges francie.

De nouem prerogatiuis quas pre ceteris regibus francorum rex in regno suo habet.

De corona regni francie in temporalibus nullum superiorem in terris recognoscente.

[fol. 1 v°] De quatur priuilegiis persone cuiuslibet veri francorum Regis diuinitus concessis.

1) Asservatur in Bibliotheca Nationali inter codices manu scriptos latinos, n° 6020.

De candida nube francorum Regnum et regem in apocalipsi significante.
De sompnio Nabugodonosor in quo fuit signatum Reg[i]um ceptrum francie et de septuplici regia cura.
De speciali custodia per deum persone regis francie collata.
De condicionibus quas debet habere quilibet rex francie.
De hiis que cuilibet regi debentur et specialiter pertinent ad Regiam magestatem.
De hiis que potestati regie competunt specialiter eiusque libere voluntati.
De hiis que Rex auctoritate sua Regia facere non potest.
De hiis que sunt cuiuslibet regis in Regno suo de Jure comuni.
Epilogus christianorum regum francorum vsque ad dominum ludouicum huius nominis decimum regem francorum modernum.

[fol. 3 v°.] De nouem prerogatiuis. . . Rex francorum in suo regno francie habet septem prerogatiuas preter Jus commune, quas ita non habet Imperator in imperio, neque ceteri reges et principes in terris et dominiis suis. Prima est quod parlamentum virorum ecclesiasticorum et laycorum scientifficorum in vtroque iure peritorum habet, et cum magnis super domayno suo sumptibus et expensis tenet continue. . . Ad quod parlamentum propter incorruptum Judicium et breuem expedicionem Justicie non solum subditos regnicolas, ymmo alienigenas eciam Infideles ab hactenus nunc vsque sepius constat habuisse recursum. Et ab illo parlamento non permittitur appellari quia est suprema curia regni. Nec indistincte super diffinitis per curiam parlamenti permittitur ad personam regis supplicando recursus haberi. Et si recurratur, per regem causa consueuit ad ipsam curiam remitti, ne Justicia impediatur, quod cedit ad magnum honorem regis et regni. . .

[fol. 4.] Secunda prerogatiua est, quod in ipso regno francie sunt ab ipsius regni fundacione constituti post regem et ordinati duodecim pares francie. . .

Tertia prerogatiua est quod francorum rex condit leges in regno suo, et non subicitur. . . .

[fol. 5.] De corona regni francie. Corona francie et rex francorum in temporalibus nullum habet superiorem in terris, nec eciam imperatorem romanum recognoscit in temporalibus sibi superiorem. Ymmo ipse rex francorum est imperator in regno suo et in temporalibus superiorem minime recognoscit. *vt c. per venerabilem § racionibus qui filii sunt legitimi.* Nec ipse papa intendit illius regis iurisdictionem minuere aut perturbare *vt c. Nouit de judi.* Quamuis Zacharias papa regem francorum remissum deposuisse vel verius francis deponentibus et sibi pipinum in regem assumentibus consensisse legatur *XV. q VI. c. alius*

et ibi glo. Tamen hoc factum est per papam non quod sibi et Romane ecclesie in regno francie vendicaret vel exerceret superioritatem dominii temporalis sicut habet in apulia et pluribus aliis regnis *[fol. 5 v°] vt cle. pastoralis de re iudi. cum ibi notatis;* sed ut pater summus omnium christianorum deuotis filiis regnicolis petentibus et consulentibus paternam prouisionem contulit et concessit ex suprema auctoritate, quam christus supra imperialibus legibus ciuilibus et in signum et probacionem ac testimonium huius rei ex apostolice sedis ordinacione ius ciuile et leges imperatorum non leguntur parisiis *vt patet in c. super specula. de priuile.*

Quarta priuilegia regis francie est quod per eius auctoritatem presides prouinciarum, baylliui et senescalli in eorum senescalliis et baylliuiis seu prouinciis infra regnum francie cognoscunt. . .

Quinta prerogatiua regis francie est, quod omnem casum nouitatis ne partes veniant ad arma precludendo speciali Iure suo regio et superioritatis quamcumque rem contenciosam in regno francie consistentem ipse rex recipit et recipere consueuit ad manum regiam *[fol. 6.]* a partibus possidentibus . . . donec per suam parlamenti curiam causa sit diffinita. . . .

Sexta prerogatiua regis francie est, quod Iure suo regio temporalitates ecclesiarum sui regni propter inobedienciam et deffectum prelatorum sui regni delinquentium vel non obediencium mandatis regiis vel vsurpancium iurisdiccionem temporalem et iura regia ad manum suam regiam ex integro per officiarios suos ponere et facere apponi consueuit et vtitur . . .

Septima prerogatiua regis francie est, quod ad reparaciones edifficiorum ecclesiarum et benefficiorum ecclesiasticorum legem *[fol. 6 v°.]* generalem in regno suo constituit. . .

Octaua prerogatiua Regis francie est, quod eciam secundum antiqua decreta patrum Regi francie pre ceteris regibus christianitatis et magis specialiter Romanus pontifex nouiter assumptus consueuit suam notifficare ad apostolatum assumpcionem et legatos super hoc speciales sibi destinare. Qui legati inter ipsum papam nouiter assumptum et dominum francorum regem amiciciam caritatem et pacem socient. *vt LXIII di. ego Iodoycus in fi. et §. agato. XXV. q. 1. c. satagendum.*

Nona prerogatiua regis francie est omnem populum catholicum contulit, et celestis ac terreni regni iura ad conseruacionem fidei christiane ad cultum iusticie et ad bonum regimen tocius vniuersi et cuiuslibet patrie siue regni *[fol. 7]* christianorum concessit *XXII. di. omnes cuncta per mundum IX. q. III et c. grandi. de supplen negli. prela.* Nec probatur contrarium per prohemium libri institucionum super verbo francus, per quod dicunt quidam probari, quod franci sunt subiecti de Iure et de facto imperio romano, quod non est verum. quia textus pro contrario allegatus non loquitur de francia illa de qua loquimur, sed de quadem terra que est in alamania que dicitur eciam francia, de qua eciam loquitur *c. de francia despon., nota per Io. fabri. in prohemio instit. et in l. 1. C. de summa tri., et l. in nomine domini C. de offi. prefec. preto. affri., et in c. per venerabilem supra alleg., per* guillermum de monte lau. *in cle. Romani principes de Jurejurando.*

Ordine secundus est *Liber armorum,* cui adiungitur tractatus *de arte blasonandi,* foliis XIII—XLIV. Hos duos tractatus *Ambaxiatorum brevilogus* sequitur, foliis XLV—LXVI, quem in hac collectione editum invenies.

Foliis LXVII—LXXV continetur *Liber de atemptato transportu persone dalphini vnigeniti et heredis Corone factus domino Karolo septimo huius nominis francorum regi illustri*[1]).

Ultimo loco, foliis LXXVI—LXXXIV, insertus est *Liber pro ecclesiastica libertate Gloria francorum intitulatus.*

Tractatus hos sequuntur in codice orationes *(„Arengę")* a Bernardo de Rosergio Tholosae et alibi habitae, foliis LXXXV—CVI, quibus totus codex ille Bernardi concluditur.

In eadem Bibliotheca Nationali Parisiensi sunt et alii codices manu scripti in quibus libri Bernardi de Rosergio continentur. Sufficit hic de solo codice MS. latino qui ibi sub n° 4242 asservatur pauca adiungere. Codex ille *Librum de statu auctoritate et potestate . . Cardinalium et de eorum Collegio Sacrosancto* continet, (foll. I—CCXII)[2]), qui liber hucusque ex numerosis nostri auctoris libris solus typis excussus esse videtur. Non tamen cum nomine veri auctoris in lucem prodiit, sed a Hieronymo Manfredo quodam uti proprium opus anno MDLXXIV Bononiae editus est. Quod factum Dominicus Anton. Gandolphus in *Dissertatione* sua *historica de ducentis celeberrimis Augustinianis scriptoribus*[3]) his verbis enarrat:

Tractatus de Cardinalibus S. R. E. liber . . Auctore Hieronymo Manfredo JC^to^ nobili Ferrariensi Bononie, excudente Joanne Rubrio 1564 fol. Opus hoc esse nostri Rossergii testatus est clarissimus Purpuratus Franciscus Maria Brancaccius suis in Dissertat. Romae impr. 1671 de Benedictione Diaconali pag. 300: „Tractatus de Cardinalibus non est ipsius Manfredi, sed Bernardi Rosacio, *Rossergij melius,* theologiae magistri et U. J. Doctoris, quam citat Cardinalis Jacobatius, sed illum typis excussum Manfredus uti proprium opus, falso sibi adscripsit et suo nomine edidit Bononiae 1564 Corniculae Horatianae, siue Aesopicae si-

---

1) In hoc suo tractatu Bernardus de Rosergio omnes quae occurrunt dubitationes iuris ex „iure divino canonico et civili, philosophico, morali, yconomico et politico" *(fol. LXVII v°.)* solvere conatus est. Dubitatio quarta est „utrum subtrahentibus filium regi possit per regem et sibi subditos ob hanc solam causam fieri guerra et bellum iustum indici". Tractatus hic a Bernardo „ad demonstrandam regis iusticiam" editus est.

2) Foliis XCI—XCV insertus est tractatus eiusdem Bernardi de Rosergio, cui titulus *De Legationibus a Latere Sedis apostolicae.*

3) Edita Romae, anno MDCCIV in 4°, pp. 101—102.

milis, quod deprehendisse Cardinalem Lancellotum collato Manfredi Tractatu cum vetusto Codice ipsius Bernardt Manuscripto, Anonymus quidam JC. testatur in quadam nota satis antiqua, et praefixa eidem Tractatui a me diligenter perlecta, qui praedictae collationi interfuisse affirmat in Bibl. locupletissima D. Lancellot tunc Rotae Auditoris 1580 Solae itaque Decisiones ad Cardinalium [?] spectantes sunt Manfredi farinae". Priusquam hoc legissem in Brancaccio, iam observaveram ante supradictum Tractatum, qui extat in nostra S. Augustini Senarum, manu antiqua cuiusdam incogniti scriptoris sequentia: „Verus et proprius Auctor huius Tractatus est Magister Bernardus de Rossergio, theologus, et U. J. Doctor, qui est apud me manuscriptus in mea Bibl. sub numero libri 1876. De quo auctore mentio est apud Jacobatium in Tract. de Concilio fol. 27 col. 1.

Librum de Cardinalibus alii sequuntur: *Liber intutulatus veri luminis Francorum christianissimi regis et regni contra tenorem pragmaticae sanctionis* (foll. CCXIII—CCCCVII), *Liber intitulatus excidium Schismatis* (foll. CCCCVII v°—DL), et duo tractatus iam ante memorati: *Liber de attentato transportu persone Dalphini* (foll. DLII—DLXI v°) et *Liber pro ecclesiastica libertate* (foll. DLXXII—DLXXV). Insertae sunt etiam orationes quaedam Bernardi.

Bernardi de Rosergio

Ambaxiator Brevilogus.

Incipit ambaxiator breuilogus prosaico moralique dogmate pro felici et prospero ducatu circa ambaxiatas insistencium excerptus.

Prohemium.

Diuo celebs aruo per intus pectus vertitur anceps, quos et qualis meriti deceat ambaxiatores esse, pro quibus et per quos deputari debet ambaxiata. Modernis temporibus vt sepius solet emiti, convenit hoc scire discretis, grande hoc officium ne vilescat; cum illud indigne sepius preocupari contigit, opere prescium tamen est. An differant et in quo legatio et ambaxiata? Solum nomen hiis tribuit, quod in modo loquendi diuersum, idem autem officium est. Antiquorum vsus legatos indistincte dicebat, quos quilibet nuncios destinabant pro quouis vbique; moderni vero legatorum nomen apropriarunt ex vsu magnis a sede papali directis; ceteri comuniter dicuntur ambaxiatores. Vtrorumque tamen eadem religio est, que sepius male seruatur a mittente et misso. Hii quibus mituntur, quandoque suscipiunt irreuerenter et illos, truces aggressores itinera frangunt eisdem, et capiunt eos ac turpiter depredantur. Premissorum singula discernere conuenit omnia.

De nomine ambaxiatorum . . . . . [cap. I]
De qualitate et moribus ambaxiatorum . . . . . [cap. II]
De dignitate et auctoritate mittentium et mittendorum. . [cap. III]
De causis mittendi ambaxiatores . . . . . [cap. IV]
De prouisione et apparatu ambaxiatorum . . . . . [cap. V]
De officio missorum in ambaxiata . . . . . [cap. VI]
De modo et ordine procedendi ad onus ambaxiate . . . [cap. VII]
De forma mittendi deputatos ad ambaxiatam . . . . . [cap. VIII]
De forma procedendi in via per ambaxiatores observanda [cap. IX]
De instruccionum suscepcione . . . . . [cap. X]
De forma recipiendi ambaxiatores nouiter venientes . . [cap. XI]
De forma proponendi per ambaxiatores obseruanda . . [cap. XII]

De explicacione credencie . . . . . [cap. XIII]
De discreta concertacione conferendi . . . . . [cap. XIV]
De cautela respondendi in arduis per ambaxiatores obseruanda . . . . . [cap. XV]
De discreta instruccionum comunicacione . . . . . [cap. XVI]
De grata conclusione per ambaxiatores diligenter prosequenda . . . . . [cap. XVII]
De opportuna conclusione caucius inuicem discucienda . [cap. XVIII]
De grata et oblata conclusione et expedicione cum leticia per ambaxiatores suscipienda . . . . . [cap. XIX]
De minus grata conclusione post discucionem data non omnino respuenda . . . . . [cap. XX]
De beneuolo captando regressu . . . . . [cap. XXI]
De modo venerandi ambaxiatores in regressu per eos ad quos missi sunt . . . . . [cap. XXII]
De securitate vie ambaxiatoribus obseruanda . . . . . [cap. XXIII]
De fide ambaxiatoribus adhibenda . . . . . [cap. XXIV]
De reuerencia et honoribus ambaxiatoribus debitis . . . [cap. XXV]
De priuilegiis ambaxiatorum . . . . . [cap. XXVI]
De crimine impediencium, capiencium et depredancium ambaxiatores . . . . . [cap. XXVII]
De saluo conductu ambaxiatoribus non denegando . . . [cap. XXVIII]
De grata recepcione ambaxiatorum redeuncium de ambaxiata . . . . . [cap. XXIX]
Publice vtile est officium ambaxiatorum . . . . . [cap. XXX]

[CAP. I.]

De nomine ambaxiatorum.

Ambaxiatorum nomen modernum est, in antiquorum gestis non habetur, nec in vatum eulogiis hactenus vsitatum; a francorum christianissimi regis curia et regnicolis satrapis originem traxit, ex vsu exinde inter principes huius seculi et ciuitatum ac nascionum comunitates diuulgatum per orbem. Interpretacionem suscepit ex communi deputandorum numero, quia vt comuniter vnus non solet deputari, sed duo vel plures simul, sic ab hoc nomine ambo ambaxiatores nominati: quia ambo procedunt, ambo idest simul negociantur; quia ambigua scindit, et esse debet pacis actor, ad pacem igitur non ad dicidia propere concurrant; vt nomen hoc illis conueniat euidenter in se et in aliis possetenus conseruent veritatem. Potest interpres aliter
fol. 46 v°. assumere hoc nomen ambaxiatorum‖ a cursu officii, si quidem precipui quid laboris, quia perpropero gressu ad loca diuersa transiens ambire videtur arzem orbis, sic quod ad loca quelibet,

quemadmodum gerendorum opportunitati captate conuenit, pretextu laboris vel telluris asperi pedem non retrahit, nec se constituit fastidiosum aut difficilem, ne hoc pretextu ambaxiator ipse efficiatur exosus. Nuncii dicuntur per apostolicum qui mittuntur, cardinalatus non habentes honorem, eciam si patriarchatus, primacie, vel metropolitana non ad causam ecclesie sed persone missi extiterunt, aut pontificali profulgeantur dignitate. Inter poetas oratores nominatur et isti. Sepius promiscue nomina hec synonimantur, unum pro reliquo scriptura tradit, diuersarumque patriarum et curiarum singularis modus loquendi.

[CAP. II.]

De qualitate et moribus ambacxiatorum.

Qualem et quibus moribus pollentem ambaxiatorem esse debere ostendit ratio magistraque rerum efficax experiencia manifestat: non supercilio fastus vanitate tumentem, non auaricie tenacitate tirannum, non inhonestum lubricum verbo vel facto, non molestum, non iracundum, non malignum, non proteruum, non irrisorem, non supersticiosum, non procassem, non sussuronem, non iniquum, non ingratum moribus gestibus et loquela, non delicatum, non impor‖tunum locacem, non vinolentum, fol. 47. non inanis glorie cupidum, non temerarium, non presumptuosum, non pusillanimem, non inpacientem, non segnem, non mendacem, non adulatorem, non fictum sed varacem, probum, humilem, modestum, temperatum, discretum, beneuolum, honestum, sobrium, iustum et pium, largum, prudentem, hylarem datorem, et magnificum, dulcem in verbo et animo, pacientem, atque benignum, opportunum, magnanimum, audacem, tractabilem, placidum, virtuosum, et fortem in omnibus se exhibendo, comunem; non que sua sunt, sed sibi que iniuncta sunt, cum omni diligentia fideliter prosequentem decet et conuenit ambaxiatorem quemlibet esse.

[CAP. III]

De dignitate et auctoritate mittentium et mittendorum.

Nuncios ad comunia mittere conuenit omnibus, queque agibilia tractant negociorum gestores; causas ad iudicia ducunt ipsi procuratores, firmatur et contractus cum sufficienti mandato.

Sed maiores natu principes seculi, comune cuiusque ciuitatis, et tres status unius patrie siue regni mittere solent ambaxiatores pro causis maioribus, vtilibus ipsis mittentibus, reique publice, principatui, siue regno aut comunitati, siue potestati ecclesiastice vel mundane. Coaptare tamen conuenit auctoritati mittentium statum mittendorum et dignitatem, ad eius cui mittitur excellen-
fol 47 v°. ciam habendo respectum,| et iuxta agendorum qualitatem negociorum et fines ac facultatem agendi ambaxiatoribus conferendam. Nam pro minimis magnos vel maiores a minoribus, aut ad maiores minimos destinare seu inexpertos perniciosum est.

[CAP. IV.]

De causis mittendi ambaxiatores.

Cause mittendi ambaxiatores dietim succrescunt et iminent per varios casuum occurentium successus, secundum quod mittentibus conuenit prouidere prudenter de preteritis, disponentes erga presentia, prouidentes pariter circa futura, per humanam instienciam agibilium prouidentes que agenda sunt, prout existimat discretum humanum rationis iudicium expedire; tamen ad vilia rustica et minora modiceque reputacionis gerenda et promouenda negocia dedecet ambaxiatorum officium applicare. Circa enim majora et vtilia expedienda ambaxiatorum officium est; semper tamen in bonum, nullatenus ad discidia vel ad malum; mali enim nuncius malus est, ad malum veniens, vt super se malum eueniat sibique male contingat: recipit digna factis, dum scienter pro malo et ad malum honus laboris suscipit. Tot autem sunt cause mittendi ambaxiatam, quot sunt expediencia varia que occurrunt: ad honorem diuini cultus et sedis apostolice, ad vnitatem ecclesse catholice, ad promouendum causas fidei christiane; ad imperialis culminis decus; ad tuendum iura reg-
fol. 48. norum; ad offerendum superioribus obedienciam: ad parentibus et patrie succurrendum; ad pacem et iusticiam; ad amiciciam: ad captandum benenolenciam: ad sedandum bella; ad inihendum et firmandum treugas; ad retrahendum tyrannos; ad reconciliandum et redducendum scismaticos et rebelles; ad beniuolos subditos dirigendum; ad co ısolandum desolatos: ad vitandum scandala; ad extirpandum hereses; ad compestenda vicia et ad inserendas virtutes; ad quibuslibet arduis necessitatibus imminentibus occurendum; ad omnia et singula que ad bonum reipublice cuiuslibet

regni, principatus, potestatis ecclesiastice vel mundane, cuiusque ciuitatis, terre, loci vel patrie tendunt, ambaxiatores mictere laudabile est. Illaudabile vero ad indicendum et inducendum bella, lictes et iurgia, discenciones, et scandala, profanandum sanctorum sancta, occupandum iura et aliena dominia, ad fouendum hereses et scismata, ad cetera quelibet vicia deffendendum, ad firmandum in malum federa et colligaciones illicitas, et ad excusandas excusaciones in peccatis.

[CAP. V.]

De prouisione et apparatu ambaxiatorum.

Sicut in datore hylaris et qui cito dat commendatur, sic ambaxiator, recepto honere, dum cito se preparat et promptum se exhibet sine difficultate gerendis, laudatur quamplurimum, mittentes quoque dileccionis et amicicie sibi constituit debitores, dum animo volenti prompto velle suscipit onus, et quantum in ipso est expedite | cicius labori subiungat semetipsum. Prouideat fol. 48 v°. tamen quisque, ne suscipiat ambaxiatam, cuius non est dignus, vel si hiis, quibus mittitur, eius persona minus accepta habetur; vtrumque premissum missos et mittentes efficit sepe ingloriosos, incassum labores vel exiles fructus reddit ambaxiate; qui autem habilis est onus hoc suscipiens cum honore iuxta sui statum, a mittente debet esse prouisus de commeatu, eueccionibus, et expensis, sic vt larga manu eius, a quo mittitur, possit et sui ipsius vbique seruare honorem, et sine dampno sui procul ab incomodis letus eat, itinerum perferendo labores. Est indiscretus qui aliter suscipit onus, atque sua perdit, fructum sepius et honorem.

[CAP. VI.]

De officio missorum in ambaxiata.

Ambaxiatorum officium publicum est, secum defferens hiis, quibus comittitur, dignitatis excellenciam, et prerogatiuam honoris. Pertinet si quidem ad felix regimen humanum benemeritos et abiles ambaxiatorum officio depputare pro emergentibus vtiliter promouendis, et si cum oneribus laboris vtriusque hominis imponatur, equanimiter perferendum est, nec pretextu spiritualis ocij, status monastici, sanctimonie, leccionis, aut

scolastice doctrine vel alterius probate accionis passim recusandum. Constat et enim ambaxiatores comunibus vtilitatibus insistere, per eos rei publice vniuerse comoda plurima prouenire,
fol. 19. licet ad singulos et pro particularibus negocijs particulariter transmittantur. Propterea jus gencium horum officium religionem esse censuit, et multipliciter preferendam, ac priuilegijs, prerogatiuis, honoribus, fauoribus, et imunitatibus vniuersis, ab omnibus in omni loco et casu pre ceteris confouendam, cum non melius cicius et felicius, que agenda sunt, expediri possint in diuersis locis ac regionibus inter magnos ac mediocres tractanda compleri, ad confouendum inter huius mundi varietates federa humanitatis et iura, quam quod ambaxiatores conuenientes et experti ad talia destinentur, per quorum officium in actum sepius deductum ad vsum constat euidenter non solum terrena, quinymo celica de superis ad terrestria, et de terrestris ad superos transmeatu prospero consumari, et in hoc seculo dirigi a principio ad medium, de medio ad finem debitum ea que alias extiterant non sine difficultate gerenda, pene cuncta agibilia prospicimus coaptari ad terminum ministerio ambaxiatorum; quorum est officium dei omnipotentis in cunctis agendis honorem et cultum preferre, sedare bella, discordes adinuicem concordare, commotos pacifficare, discenciones tollere, diuisiones fugare, amiciciam inducere, iram et vindictam reffrenare, iniurias compescere, corda fremencia dulcorare, tristiciam expellere, leticiam preferre, dileccionem impendere, probitatem in opere demonstrare,
fol. 49 v°. dulcedinem et modestiam verbis et factis,‖ moribus, et vita in se ipsis et in alijs obseruare, quosque a malo retrahere, queque malegesta reparare semper omnia, quoscumque inducere verbo pariter et exemplo ad bonum caritatis et pacis. Et vt que optant perficiant, circa eis commissa diligenter intendant, tristia leuiter, grauia ylariter, grandia humiliter, sapientes et insipientes supportare dulciter, agendorum respicere finem, iugiter cum promtitudine constantes boni et generosi animi summa est huius officij.

[CAP. VII.]

De modo et ordine procedendi ad onus ambaxiate.

Modus in agendis diligenter est obseruandus, ordo pariter; ex quibus sequitur promtitudo exequendi commissa. Qui enim

alta pusillanimiter, grauia leuiter, dulcia ruditer, simplicia fortiter prosequitur, exilia granditer, forcia simpliciter, jocunda flebiliter, tristia hylariter, secreta patenter, patencia latenter, modum debitum pretermittit. Modus est vt convenit ad opus deducere actum. Actus est vt expedit effectus agendorum in facto perficere suo. Seruare debitum ordinem racio suadet, ars iubet, ostendit pariter et natura; nam que suum seruant ordinem conuincuntur ad casum, qui debitum ordinem in suis agendis obseruat, principiat bene, medium parat, attingit finem. Preponat in cunctis timorem dei, pariter et honorem amoris affectu, terrenis celestia, perpetua transitoriis anteponat, erectum ad superna dextrum occulum racionis teneat, et sinistrum clarius | prospicientem hec fol. 50. infima, nec vnus ab altero diuaricatur lumine visus. Ad opus in facto dare modum, nulla scripture sufficit doctrina veri, quantum circumspecta hominis discrecio prudens, tempori et loco, personis vt expedit agens, resque suo cursu manuducit, moderatur media queque, sui ad propositum adaptat ultima primis. Est modus absque modo sequi ventum, volui hinc inde, hoc incerti faciunt nesciuntque discernere factum; immodus ex modo defluit et mala sequuntur, cum bene cepta rerum incaucius deducuntur ad opus. Non in solis verbis consistit modus, nec tantum constat hominum compositis gestibus esse. Hec sunt signa modi. Modus est deduccio rei.

[CAP. VIII.]

De forma mittendi deputatos ad ambaxiatam.

Deputatos ad ambaxiatam, dum ab eo a quo mittuntur cuncta necessaria receperunt, et parati ad iter fuerint, quanto negocia pro quibus mittuntur sunt maiora, tanto honorificencius et sollempnius decet licenciam recessus sui et comedium recipere ab illo qui mittit eos, et a curia vnde exeunt sollemniter et decencius associando illos conuenit honorari, quemadmodum sedes apostolica in legatis a latere consueuit obseruare. Per hoc enim ambaxiata redditur sollempnior, et qui destinantur ad opus feruencius animantur, cum gaudio amplectentes laborem, famaque volatu suo precedit illos; hiis quibus mittuntur, illorum prenunciando aduentum, redditur habilius‖ vtriusque partis respectu, fol. 50 v° preuisione quadam, excercicium gerendorum, ne preoccupacioni sit locus, et molestie inicium oriatur exinde, cum per patentem

recessum ab hiis qui eos destinant patestat ad eos quibus diriguntur in proximo vicinus adventus probatus, et mittens affatus demulcendo fauores hiis qui mittuntur, (mittens) in recessu preponere, et illos ad gerenda diligencius expediendum animare debet, de sui affectu super eis commissis certifficando prefatos. Vtilius est cuique qui ambaxiatores mittit premissa oretenus explicite per seipsum dicere illis. Nam tenacius pectoribus eorum inseritur, quam si scriptis vel a tercio diceretur; illique se amplius reputant honoratos, et vltra forciores insurgunt. Intendere circa comissa caueat qui mittit, ne in commissis sit anceps, eos enim quos mittit faciat dubios et retrahit a diligenciori congressu. Studeat quantum pro se certus comittere certa; nam super incertis omnino minime conuenit ambaxiatores vocari, nec super talibus sibi fideles et caros onerosis fatigationibus occupari. Caueat ne proroget ambaxiatorum egressum sine causa post quam mittere decernit illos; nam viuax sensus persepe talibus et nimia tarditate tepescit, vilescitque mos vtiliter gerendorum, comuni iudicio notatur discrecia inexpedita mittentis.

[CAP. IX.]

De instruccionum suscepcione.

Caueant tamen ambaxiatores, ne instrucciones acephalas,
fol. 51. ambiguas, vel dupplicitatem continentes verbo vel in scriptis a mittentibus suscipiant; et si eis tradantur, ante omnia declaracionem et intentum exquirant, et si cautelose dictata minusque explicata fuerint, et ita recipere fortassis opportuerit, circa gerenda esse studeant cauciores, ne lapsu lingue vel alias circa mittentes et eos quibus diriguntur dangerium incurrant et odium, et contumeliam recipiant loco honoris.

[CAP. X.]

De forma procedendi in via per ambaxiatores obseruanda.

Ambaxiatores postquam iter suum ad personas et loca quibus mittuntur inceperint, continuare dicti debent secundum gerendorum exhigenciam gressus moderantes, nimia tarditate, vel dissoluta velocitate minime notandos in incessu, statu, habitu,

gestu, et progressu eueccionum, conuersationem bonam, et prudentie maturitatem circumspicientibus ostendentes, vnitatem adinuicem, communicacionem sociam et fidelem cum mutua pace, corde, verbis, et actibus obseruantes, vt quemadmodum pro certis eisdem agendis, et a certis mittuntur ad certos, ex mutua dileccione et conformi progressu se certos et vnanimes exhibeant. Et qui inter eos prudentiores sunt, supportare socios studeant, et in omnibus adiuuare: in hoc sibi ipsis et illis a quibus mittuntur obseruabunt honorem, et incautos cauciores efficient, tollerantes illos equanimitate sua. Qui vero juniores sunt ii talibus fol. 51 v°. laboribus et officio nouicii expertis collegis se submittant, discant priusquam experiantur, et experiendo semetipsos recomitant magis expertis; nec simpliciter presumant de sufficiencia litterarum quantumcunque prouecti, de viribus proprii naturalis ingenii, aut de profunditate sensus, vel subtilitate seu agilitate sua. Sepius tales decipiuntur non habentes rerum experimenta: expertos etenim cercius agere videmus, et ad suum propositum deducere negocia vt intendunt.

[CAP. XI.]

De forma recipiendi ambaxiatores nouiter venientes.

Per eos ad quos mituntur ambaxiatores nouiter venientes ad faciendum ambaxiatam suam, recipiendi sunt cum prerogatiua honorificencie singularis, et obuiam debent illis cum apparatu ipsis ad quos veniunt et illis a quibus mittuntur debito et condecenti occurrere letanter et modo iocundo hii quibus diriguntur eciam personaliter, si dignitas mittentis et illorum qui mittuntur hoc exigat, et alias mittere de suis curiis in occursum sollempniores et in magno numero personas propicias scientes gratanter venientes recipere, et iocundiori modo ac verbis dulcibus graciosius preuenire. In hoc enim is qui tales ambaxiatores destinat principaliter honoratur, et demonstratur magnificencia et nobilitas illos honorifice recipientis: fit quedam preparatio conueniens cum preuencione honoris ad super hiis pro quibus ambaxiata mittitur| vtriusque partis respectu debite procedendum, et qui fol. 52. missi sunt ad graciosius et liberius agendum promtiores efficiuntur, et comendabilius redditur officium illorum ex quo viribus animi sublimiori feruore refecti fatigacionibus itineris paruipensis fortiores se exhibent ad negotia peragenda, nec non recipientes

et recepti mutua familiaritate coniuncti glutino dileccionis in agendis dulcius adiunguntur, principiantur agenda, cicius micius deducuntur ad medium, et rectius diriguntur ad finem.

[CAP. XII.]

De forma proponendi per ambaxiatores obseruanda.

Ambaxiatores quam primum prospere peruenerint ad personas et loca ad que missi sunt, omni mora postposita, captata beneuolencia, cum omni sollicitudine eis dari audienciam procurare debent, opportune tamen, non cum infestacione tedii ac oneris illorum cum quibus agere debent, ne ex hoc fortassis desplicerent. Die vero et hora ad proponendum assignatis, studeant qui missi sunt non festinanter sed paciffice cum omni grauitate, seclusa leuitate morum, incessum et gestus suos moderari, placido vultu, humili ac reuerenti prospectu illorum coram quibus habent proponere congrediantur, conspectum et suscepta proponendi benigna postulacione, opportuna audiencia, qui inter eos habet proponere humili motu, gestu graui, placido aspectu surgere debet in medium, et si tanta sit celsitudo illo-
fol. 52 v°. rum quos debet alloqui flexis poplitibus proponere, et‖ expediri se velle exhibeat, ac media voce dulciter et non arroganter proponere incipiat sicque permaneat, si permittatur hoc modo; sin aliter pedibus saltim stare debet, nisi sibi defferatur, vt sedendo habeat perorare. Forma proponendi perficitur non tantum verbis, sed organo vocis, gestu, et modo proponentis. Nam dulciori et media voce pocius quam aspera et clamosa quecumque proposita siue placita sint, siue dura, vel odiosa, eorum quibus proponuntur auribus melius ingeruntur, et circumstancium animis efficacius inferuntur, et placidius audiuntur a cunctis, dulciorem ac comunem impressionem intellectus subministrant in sensu, et sonare in meliorem partem suscipiuntur, vel saltem non ita suspecta sunt in cordibus ascultantium, quantumcunque sapiencia huius mundi illos filios huius seculi prudentiores effecerit filiis lucis, nec tamen rauca vel meticulosa voce, atque precipitando, vel cespitando, aut dubitatiue proponendum est, sed secundum statum eorum a quibus missi sunt, et illorum coram quibus consistunt, suam auctoritatem proponendi, et placidam audaciam ambaxiatores periti sumere debent; ne vel pusillani-

mitate metus, vel temeritate fastus proponendo, notentur et efficiantur ingrati illis quibus loquuntur, ex talibus enim prolatum quantum libet veridicum et vtile verbum fit minus acceptabile, sepeque vacuum profectu et exaudicione. Stilus | proponendi fol. 53. multiplex traditus est a peritis in arte. Cum tamen vulgariter proponendum est, non altus, sed planus et ordinatus stilus est prosequendus, et siue litteraliter verbis latinis, aut vulgaribus, seclusa superflua loquacitate, secundum capacitatem audiencium exprimi debet conceptus proponencium, ne obtusis sublimia, gracioribus subtilia inaniter exprimantur, et sine fructu ad ventum iactari videantur.

[CAP. XIII.]

De explicacione credencie.

Credenciam comissam explicare debent ambaxiatores prudenter, ne tacenda diuulgent et dicenda subticeant. Sed in hoc diligenter aduertant explicacionem suam quantumlibet illis precise comissam negocio, personis, loco et tempori, quemadmodum expedire prouiderint, adaptare; in hiis etenim, sicut in ceteris explicandis, racionabiliter attendendum est tempus loquendi pariter et tacendi: namque sepe contingit motiua que in ordinatione explicande credencie ipsis dictantibus et mittentibus occurrerunt, vel que in instruccionibus traditis sunt expressa tempore quo hiis quibus mittitur dici debet eo modo minime conuenire, sicque si mittentes presentes tunc existerent vtilioribus expedientioribusque motiuis et mediis ad consequendum quod optant vterentur, quo casu qui mittuntur discrecione preuia mittentium absenciam prudencia perui|gili supplere debent, dicte credencie fol. 53 v°. et instruccionum sensum ad vtilitatem agendorum in fauorem mittencium pocius prosequendo quam verba, tamen vbi cuiusquam articuli seu plurimorum ipsius credencie vel instruccionum sensus pro tunc dum explicacio fienda est conuenire non possit illos, melius est alias partes credencie proponendo tacere quam ad dampnum derogationem vel retardationem voluntatis preiudiciumque ipsorum mittentium propalare, donec quam cicius quid fieri voluerint transmittant ipsi mitentes, et interim qui missi sunt alia que vtiliter poterient prosequntur. Sed si quandoque vt accidit ambaxiatores videant eciam super principalibus negociis pro quibus missi sunt credenciam traditam et instruc-

ciones iuxta sensum, et minus secundum verba nullatenus explicari conuenire, quamuis per eos quibus missi sunt dies et hora pro explicanda credencia sint assignati, tantumque discent ab hiis qui miserunt eos quod comode super hiis consulere nequeunt illos, in tanto discrimine positi, prudenter prouideant prospectui eorum quibus missi sunt verbo, gestu, modo conuenientibus ostendere se minime destitutos vel turbatos existere. Interim tamen ea que sunt reuerencie, amicicie honoris, fauoris, et beneuolencie inter eos a quibus missi sunt et illos ad quos destinati existunt, explicare et prosequi non omittant, donec super tam casu arduo responsa receperint a mittentibus illos, quos
fol. 54. super talibus occurrentibus per speciales diligentissimosque nuncios certifficare cicius debent et certitudinem prestolari. Si verotalia super credentia et instruccionibus traditis procedendo in via ipsis ambaxiatoribus superuenerint, studeant pede lento vlterius iter suum continuare nullatenus retrocedere, donec a mittentibus receperint quid vlterius agendum, expectando, si hoc expedire prouiderint, in aliquo loco ipsis conuenienti responsa.

[CAP. XIV.]

De discreta consertacione conferendi.

Postquam ambaxiatores egregie proposuerint, ad responsa congrue obtinenda suum debent intentum dirigere. Si vero requirat qualitas agendorum cum hiis quibus proposuerunt vel cum deputatis ab eis in conferendo comunicacionem habere, prudenter suscipiant eandem, nec differant vel recusent, nam ex hac redderent se suspectos, vel de dupplicitate aut de insufficiencia. Tamen in conferendo non tenentur pro parte sua primitus incohare, cum ex hiis que proponendo dicta sunt per eos, aliis tribuerint super eisdem materiam per amplius exquirendi. Cum autem ad subtiliter exquirendum archana negociorum siue dupliciter vel fraudulenter tendere pro parte altera scenserint, exquirentes ibidem in promptu, nec totaliter que intendunt explicent, nec omnino taceant vel differant ad alium diem responsum. Sed per alterum eorum verba prolata per alios graciose susci-
fol. 54 v°. piant, et inquantum promtius per eos proposita poterint descruire pro tunc presencialiter adaptare responsis, ne minus prompti vel rudes esse conuincantur. Et si coaptatio huiusmodi non sufficiat, subtiliori modo peramplius acuciori indagine ma-

teriam ad propositum ad altiores considerationes successus eleuare non desinant quemadmodum viderint expedire, in ambiguo tamen insistendo circa ea que pro expedicione negociorum in iure ipsis occurrunt, et circa ea que expedire viderentur, faciendo secundum rectum iudicium rationis, cumque tot capita tot sensus, et secundum cuiuslibet hominis anime virtutes subtiliores occurrant vie exquisite, sepius tamen in hiis que huius mundi sunt et ad fraudem super hiis discrecio summe necessaria est ad ex opposito debite procedendum. Prodest tamen ad cognostendum modos et vias huiusmodi plurimorum et diuersarum nascionum et condicionum hominum et negociorum diuersorum, in facto noticiam per experienciam in diueris locis et curiis magnorum per prius habuisse, per quam hiidem amaxiatores prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbi subsistant.

[CAP. XV.]

De cautela respondendi in arduis per ambaxiatores obseruanda.

Caute respondere studeant ambaxiatores discreti, in verbo dulcedinem cum mansuetudine preferentes, nec clamosi, nec procasses sint vllo modo, sed dulcescat in auribus audiencium eorum eloquium, quamuis forsan, vt sepe contingit, res que geritur mordax et viscosa existat. Animus prudens linguam eruditam fol. 55. ostendit solo proferendi modo. Humana vox dum foras formata procedit patulo loquentis ex ore subsistenciam animi formatam esse insinuat, vel informem priusquam respondeant, eciam si in promptu respondere illico necesse sit, que inquerentes proferunt illos prius excogitasse subinferant et responsa super hiis que ab ipsis exquirunt fuisse premeditatos. Quo meditamine premuniti, et si deliberandi per amplius eis temporis mora non subpeditet, labiis precavebunt, ne saltim offendant in verbo perstrigentes in paucis, plurima verbis sic, vt loquendo tacere et cum racione scire loqui tacendo reperiantur non faciliter et verbo vel replica commoueri conuenit ipsos, nec animositas grauitatem et maturos preoccupet motus eorum, sed reflecxa recta si quidem mens racioni consenciat et ratio sui maturitate contenta permaneat minime superata, lesus quamuis intriensecus vel commotus animus existat, de commoti cordis intimis exterioribus sensibus obseruatis ad sublimiora conscendens, dum quis mentem racioni

conjungit et cordis motus subpeditat, et nichil de hiis, si ergo motu aux voce forinsecus propalat, se sui ipsius esse dominum manifestat, sicque non tantum sibi, sed aliis preheminet, consulit, et auxiliatur, dirigit, promouet, sibi consortes temperat, retrahit, et moderatur agenda.

[CAP. XVI.]

De discreta instruccionum comunicacione.

fol. 55 v°. Discrete studeant ambaxiatores instrucciones suas quantumcunque caris amicis et notis communicare, et multo caucius hiis qui fauent eis ad quos missi sunt. Multa et enim impedimenta, multeque detracciones ipsis ambaxiatoribus obuenire possunt ex leui communicacione instruccionum suarum et a sapiencia huius mundi subplantari bone fidei possessores. Nunquam tamen hiis quibus mittuntur originale suarum instruccionum tradere debent, nec copiam in scriptis, nisi processerit ex mittentium voluntate, et tunc tantumdem sibi retinere debent, quanto melius et securius possunt, ne forsan inueniant se deceptos. Talem igitur instruccionum communicacionem sponte vel vltro non debent offerre nec concedere petitam instanter, sed petentibus euadere congruenter. Et si negocia magni ponderis existant et illorum cum quibus negociandum est incredulitas exhigat instruccionum communicacionem in prima et originali figura, tunc si ex denegacione seu retardacione communicacionis instruccionum ruptura seu impedimentum expeditionis negociorum immineat aut verisimiliter timeatur, fienda est ad bonum agendorum exhibicio instruccionum originalium et per copiam presencialiter cum originali correctam communicacio, penes ipsos ambaxiatores originali instruccionum semper remanente. Si vero tradere opporteat originale instruccionum hiis quibus missi sunt vel deputatis ab eis, tunc quanto caucius poterunt cum
fol. 56. meliori forma qua fieri po|terit retenta copia correcta tradantur. Sed tradicio hujusmodi debet fieri, quando melius vel aliter negocium nequit esse, in ore tantum illorum quibus ambaxiatores missi sunt seu fauencium eis. Communicacionis instruccionum peticio non necessaria non bene cedit, nec super hoc importuna instancia calumpnie fraudisque scrupulo caret, et sine causa notam minoris extimacionis cum rubore conferunt missis ambaxiatoribus et mitentibus ipsos.

[CAP. XVII.]

De grata conclusione per ambaxiatores diligenter prosequenda vt revertantur.

Quia negociorum grata conclusio missos optatum perducit ad finem, letos ad mittentes reducit illos, acceptos parit effectus, summa cum diligencia laborare debent ambaxiatores, vt conclusionem debitam cum hiis ad quos missi sunt accipiant quando cicius poterunt congruenter, ne frustra laborasse reperiantur, nec in pendulo diu segniori dilatu prepedire notentur agenda, seu deferre non clusa. Solent et enim ex dilatis, et lente prosequentibus negociorum conclusionibus jam pene discussa deliberatis mentibus lapsu quodam dilabi difficilius post modum resumenda quodam modo vilescere, minoris extimacionis fieri, quam forent, successibus adversis plurimum impediri, ne defficiant in petitis vel subcumbant detrahencium latratui patulo. Studeant missi, hos quibus missi sunt sollicitare de conclusione captanda fol. 56 v°. gratanter, modis possibilibus, semper cum dulcedine verbi, procassi sermone secluso, importunitate tediali suppressa, gratos et graues semper obseruando mores et gestus, redeundi ad eos a quibus missi sunt sua desideria frequencius exprimendo. Sic de fideli diligencia pariter notabuntur, commendacionem laudabilem prosequentur: erunt a mittentibus efficaciter excusati, si contingat eciam aliter concludi quam obtent. Nec qui missi sunt circa alia quecumque se divertere debent, sed jugiter intendere, conclusionem consequi, et intentum suum perducere ad finem. Giro uagos contingit prius cepta deserere, multa incipere, et pauca siue nulla finire. Horum varietas et inconstancia manifesta est, illorum extimacio nulla. Si vero, propter multiplicacionem aliorum negociorum hiis ad quos missi sunt occurencium, videant qui missi sunt suam conclusionem diferri, propter hoc diligentiam suam continuatis peticionibus et requestis benivolis pro expedicione celeri non postponant observare. Nam debent sollicitare sollicitos ipsi solliciti de regressu prorsus excusati super hac sollicitacione de omni importunitate sinistra, tanquam viatores properantes ad terminum, hiidem constituti in via, pulsent vt optineant; petere consequi finem non erubescant. Nam humana ratio libenter intendit negociis inceptis cicius imponere finem, quamtum libet curis fuerit implicata diuersis, mo dum per alium fol. 57. melius cicius feliciusque sollicitudinibus posse crebrioribus exonerari non videns. Majores hujus seculi quibus cotidie majora

negocia crescunt, gaudere debent expedire brevius venientes ad ipsos. Quanto cicius expediunt laudabiliores fiunt, fama percelebris de ipsis lacius volat, illorum sapiencia profundior existere comperitur et prudencia caucior, alienos diu secum commorari non ferens, ne diuturna mora tales ad familiarem conversacionem admittens, prodat humanos ipsorum secretos defectus, quos nec domesticis innotescere cupiunt ipsi prudentes, ne per hoc agendorum secreta patescant illorum. O quam prepostera succedit jactura preter intencionem expedire differentibus ambaxiatores quoscumque per amplius, cum non sint grata negocia que tulerunt; feriuntur enim per tela que jaciunt, dum per moram intendunt afficere tedio missos mittentibusque minus defferre; nec aduertunt illos passim aduertere cuncta plenius, quanto diucius et frequencius per experienciam certiores effecti vt referant et reuelent mittentibus, dum sic male contenti fuerint ad ipsos reuersi. Tucius et melius igitur est, grata siue minus afferant, expedire cicius ambaxiatores undecumque transmissos.

[CAP. XVIII.]

De opportuna conclusione caucius inuicem discucienda.

Conclusionem expedicionis ambaxiatores quicumque cum
fol. 57 v°. hiis ad quos missi sunt si liquerit discutere, caucius studeant et prudenter, ne forte ex intricata consertacione vel delicata disceptacione principale negocii turbent, differant vel, vt quandoque contingit, rumpant totaliter jam concessa. Nec plus scrutari nec plus insistere, quam opportune liceat, debent missi vel dictari ad votum suum velle, que prosequuntur cum oneroso et tediali fastidio ipsorum penes quos instant; principale sufficienter expedire, quam intricatis delicatis superfluisque subtilitatibus insistere, multo securius multoque melius est, et si forsan de puncto vel verbo scripturarum litterarum vel munimentorum quorumlibet obtinendorum super expedicione gerendorum prosequi missos necesse fuerit, cum hiis quibus competit onus dictandi talia gratis sermonibus et modis beneplacitis prosequantur, non infestando principalem dominum, qui talibus commisit onus dictandi, si quidem non cum clamoribus, sed cum dulciori ductu dictancium faciliter sepius et magis utiliter experiencia docet talia expediri. Pariter si de ceteris sive circa modum sive circa ordinem expedicionis concesse disceptandum vel inuicem tractandum et discuciendum fuerit, obseruandum est cum hiis qui-

bus expedire talia sunt comissa. Siue in magnis siue minoribus causis expediendis per ambaxiatores principaliter laborandum est, vt principalem et veram expedicionem obtineant eorum pro quibus missi fuerunt, licet forsan eo modo quo mittentes desiderant nequeant | optinere. Nam sepe contingit excogitatos et fol. 58. preuisos modos a mittentibus traditos, cum ad eos ad quos mittuntur ambaxiatores peruenerint, locum non habere, vel congruere non posse presenti tunc tempori siue loco; caucius igitur negociari studeant et talia discernere qui mittuntur, ne forte preoccuppati seu precipites ex inadvertancia contingat ipsos circa ea insistere que non expediunt et principale negocium impedire, necnon confundere semetipsos retardareque suum prosperum et optatum regressum. Quamborem discrete talia discutere conuenit missis cum preuisa maturitate et digesto cogitatu sepius recensito, non inuiti suo sensui nec viuacitati ingenii leuioris, diuersi enim diuersa sapiunt, nec sub vnius capacitate claudantur qui pocius et reduci nequeunt penitus sub vnius ingenio diuerse hominum voluntates nec frustra temptare competit vlli super hiis que sunt libere voluntatis diversos animos pessundare, progressus et concursus talium in agentibus liberis vt quid profanum coaccionem aborrent, que sunt arbitrii liberi fauorabiliter prosequendo. Nec doctrina litterarum prediti de sua confisi pericia laicos super talibus cum molestia congredi debent. Nam ignaros litteris racionis acumine sepius pollere compertum est, et precellere plurimos iudicio racionis. Anima racionalis in hummana carne subsistens, in quorumdam corporibus plus quam in aliis habere conspicimus | proprias potencias expe- fol. 58 v°. ditas et subtiliori decernere iudicio que geruntur, quamuis careant sciencia litteris adquisita.

[CAP. XIX.]

De grata et obtata conclusione et expedicione cum leticia per ambaxiatores suscipienda.

Cum leto vultu grandique leticia, gratam et oblatam conclusionem, ac plenam expedicionem ab hiis ad quos missi fuerint ambaxiatores quilibet suscipere debent. Nec ex dilacione facta querulosos exhibeant semetipsos postquam habent que optant. Promtas graciarum acciones referant de expedicione sua sicque optata percipiant, ne ingrati vel procasses aut nimis esse delicati quoquomodo notentur.

[CAP. XX.]

De minus grata conclusione post discussionem data non omnino respuenda.

Minus gratam conclusionem ab hiis ad quos missi sunt ambaxiatores omnino respuere non debent: aliquid enim quam nichil reportare melius est, nisi a mittentibus habeant expresse contrarium in mandatis: et tunc cum modo et forma dulcioribus eorum repudium fieri debet et modestia tegere conuenit male contentos; nec proprias passiones turbacionis sue discoperire missi debent exteris qui de illis prius bonam extimacionem habebant. Igitur colera cedat iudicio, leuitas grauitati, rigor mansuetudini, procassitas affabilitati: humanus aspectus missorum procerus permanens et serenus tanquam ex propriis aduertere
fol. 59. dulciter potest illos qui conclusionem‖ minus gratam vel negatiuam tribuunt, vt futura prospiciant et ad meliora que magis expediunt condecendant, quatinus magis grata que possibilia sunt tribuant refferenda. Quod si pacienter illos audire perceperint, qui missi sunt verisimilia possunt exprimere ad inducendum illos condescendere votis suis; et si que de verisimilibus apertis placuerint hiis quibus relata sunt, dulciter qui missi sunt quantum ad suum propositum faciunt eadem prosequantur ad effectum perduci; sic ad viam per inuium reduci contingit sepius illos qui minus gratam conceperant facere missis expedicionem. Caueant tamen qui missi, ne dum verisimilia seu congrua vel que videantur expedire deducunt casu, preter intencionem quidquam aperiant de hiis que parti sue possent quomodolibet in posterum derogare, ne postmodum aperuisse talia pudeat et peniteat ipsos. Missi ergo studeant aperienda discernere prout expedierint inuenire, inuenta discutere, discussa prudenter proferre, caucius persuadere, gestu placidoque sermone, si in vanum laborare non velint, et vacui non redire, nec terror animi tanta turbacio missos preocuppare debet, dum minus gratam seu negatiuam reportant conclusionem, quod propter hoc ipsi qui missi sunt perdant prudencie, temperancie, mansuetudinis, equanimitatis et grauitatis bonam extimacionem suam; viros enim prudentes detegendo comprobant que obuiant votis
fol. 59 v°. aduersa. Sed dum comperiunt‖ proposse se fecisse que debent, licet que obtabant optinere nequierint, non tristentur, sed gaudeant se prosequtos fuisse fideliter et diligenter comissa. Non enim semper succedunt que conceptus optat humanus: nec expedit aliquando

compleri penitus omnia que proponuntur: dumque sensus humanus proposito suo frustari se comperit, caucior sepe et forcior ad altiora concendit, et alia vice melius expedit similia pocioraque prioribus quibus hactenus frustratum se fuisse cognoscit.

[CAP. XXI.]

De benivolo captando regressu.

Postquam ambaxiatores ab hiis ad quos missi fuerant expedicionem reportauerint et finale responsum siue optatum siue minus acceptum aut ingratum habuerint, possibilibus modis omnibus beniuolum debent captare regressum, nec hospite insalutato discedere debent quoquomodo. Furtim vllatenus vel dissimulate non recedant sic missi, alias perpetuum obprobrium sibi suisque successoribus notam acquirunt. Nec timori locus est, quia seuero penitus obstinato eciam mittencium hoste formato, calore iracundie commoto, dulcis et beniuolus per ambaxiatores debet captari regressus, cum gracioso congedio discessus. Absistat igitur pusillanimitas a missorum cordibus, et vecordia fortes animo subsistant, in periculo, in rebus dubiis. Missi caueant peramplius quam racio subgerat non timere, ne vbi timor non fuerit subsonentur timuisse. Nam periculosius est ab‖ hemulis sine fol. 60. beniuolo captato regressu discedere, quam cum illo petito et obtento. Si non petant, contempnere dicuntur et illos, ipsique peramplius inardestent, incident tunc in periculis et discriminibus viarum que euadere proponebant. Nec putent difficile beniuolum ab hoste posse obtinere regressum. Nam cum verbi dulcedine, commocio turbate mentis illius cedet racioni hoc casu. Qui autem regressum liberum ambaxiatoribus eciam hostium denegarent, innominiam sibi conquirerent, et ore patulo partem aduersariorum suorum facerent pociorem. Propterea rerum experiencia tradidit ab omnibus comuniter obseruari ambaxiatores hostium quantumlibet grauia seu displicibilia refferentes cum dulcedine recipi, benigne tractari et remitti graciosius cum honore. Sic faciendo crescit fama remittencium, temperatur animositas magnatum eciam discordantium, et rei publice non minoratur vtilitas, que per ambaxiatores vt comuniter a discriminum iminenti multitudine manifestius releuatur. Caueant tamen sic missi, ne veraciter excedendo metas eorum officii, facto, dicto vel scripto notari possint de transgressu. Nam si eis ex hoc beniuoli regressus impedimenta haberent, eorum

priuatis excessibus agnoscant se prepeditos, tunc cicius insistant perferre medicamina morbus vnde percussit ipsos. Studeant que de cetero caucius negociari, nam officii sui terminis debent
fol. 60 v°. esse contenti, nec miretur ex‖cedens dum exceditur, cumque si culpa feriat quam ingessit, vt puniatur quilibet in eo specialiter, in quo deliquit, ratio dictat, ius adheret, assentitque natura.

[CAP. XXII.]

De modo venerandi ambaxiatores in regressu per eos ad quos missi sunt.

Sicut a principio hii ad quos destinati fuerunt, ambaxiatores quoslibet honorifice recipere debent, sic expletis agendis ambaxiate debent illos remittere congruis honoribus premunitos ad eos a quibus missi sunt, vt sic redeuntes contenti per viam cunctis explicent laudes illorum a quibus redeunt et de ipsis honoris et magnificencie relatu digna refferant eis ad quos reuertuntur. Sic crescit honor et fama remitencium, et mittentibus aduenit honorificencia singularis, dilatatur mutua dileccio, populatur confidencia specialis, in bonum mutua conuersacio publicatur, purificatur intencio: sequitur inde quedam dileccio gerendorum, quanto maiora sunt negocia, tanto per hec expedita dileccio subsequi manifestius comprobatur; explicantur inuoluta corda hominum hinc et inde; turbacionis mentium transquillitas gignitur; speculacio sequitur caucior ad futura, inseriturque gerendis vtilior moderatio rebus. Nec detrahendum est honori missorum ex minus gratis negociis delatis, non enim est hoc illis sed mitentibus imponendum. Nam gratiora si tradita
fol. 61. fuissent pariter explicassent.‖ Et qui prudens est aduersus mundi huius successus varios per minus acceptorum explicacionem vtiliorem in se perficit gerendorum prosequcionem, intenditque diligencius ad congrue moderandum prospera, et apponendum remedia, ne sibi noceant aduersa, licet grata gratos de se preparent animos, faciantque promptiores ad deferentes talia specialiter festiuandum, singulariter honorandum, liberaliter premiandum. Qui prudens est, propter ingrata relata retrahi non debet, ad similiter honorandum, festiuandum, remunerandum ambaxiatores qui talia retulerunt, ymo multo plus in honorandis festiuandis premiandis talibus, quanto maior est et relata minus sibi placent, minusque nocere possunt, minusque apreciatur, et ille habundare debet, vt exinde sua magnificencia crescat, potentia

et magnaminitas eius pateat beniuolis et emulis insurgentibus ex aduerso. Si vero relata minus grata timeat vel formidet, vt eius suspicio turbacio vel formido tecta permaneat, nec pateat aduersariis, qui ex hoc magis exultarent, et amplius eleuarentur, promptius, manifestius iuxta posse se habere debet ad festiuandum, honorandum, munerandum, et graciose quam cicius remittendum ambaxiatores hemulorum suorum, vt sic secreta mentis sue circa futura permaneant, ambaxiatoribus incognita, et dubitabilia mitentibus illos. Ex hoc enim sic remitens partem suam faciet forciorem, famam percelebrem‖ et laude dignam. fol. 61 v°.

[CAP. XXIII.]

De securitate vie ambaxiatoribus obseruanda.

Humanum genus federe suo cuiuslibet gentis et nascionis iura promulgari censuit inter cetera pro vtilitate publica ad promouendum et bene disponendum ardua. Et sic quibuslibet ambaxiatoribus prouidit specialiter de securitate vie, que securitas vie semotis omnibus impedimentis quibuscumque ambaxiatoribus, ex eo quod ambaxiatores sunt et officium suum laudabiliter exercent nec excedunt, libera censetur adesse; propterea in omni gente, nacione, regno, dominio per terram et per mare, penitus est eisdem ambaxiatoribus efficaciter obseruanda, nec vllatenus impedienda, minimeque deneganda. Cuius contrarium facere est humani generis fedus et iusgentium omnium infringere, derogareque rei publice manifestum est, et esse contrarium omni iuri et rationi. Nec sumi debet de leui causa, vel occasio, propter quam securitas vie liberque adhitus et transitus possit aut debeat ambaxiatoribus eciam aduersariorum vel suspectorum quomodolibet denegari, dum modo continuato discursu progressus et regressus ad expedicionem ambaxiate commisse diligenter insistant, et sine ficcione intendant. Caueant tamen ambaxiatores, ne sicut aliquando compertum est sub velamine publici officii ambaxiatorum, reperiantur velle scrutari, explorare, et per‖cunctari fol. 62. secreta statuum et disposicionem regnorum, terrarum, et locorum per que transitum faciunt. Nam hoc agere nullatenus competit officio ambaxiatorum, et si contra faciunt culpabiles existunt merito puniendi. Propterea hactenus in talibus est repertus excessus, ne posteris officium ambaxiatorum debite gerentibus nota suspiccionis verisimilis valeat imponi et grauia per hoc inferri possint discrimina, transiit iam ad vsum obseruanciamque

comunem, quod ambaxiatores quicumque per terram in qua possent verisimiliter dici vel reputari suspecti, habentes transitum facere, premitant cursorem domino seu gubernatori illius patrie ciuitatis vel ville notabilis eis magis propinque, significando intentum qualiter cum beniuolencia et sine offensa transire per illam terram proposuerunt per talem principem vel dominum aut comunitatem ad talem dominum terram vel comunitatem ambaxiatores directi, prestolantes super hoc gratum beneplacitum illius vel illorum. Sic a suspiccione et nota liberantur, et ab incomodis ambaxiatores prouidi, tali prouisione caute et discrete vtentes. Nec propere quicumque principes domini ve terrarum passim ex suspiccione leui ambaxiatoribus eciam hemulorum vel sibi suspectorum transitum denegent: nam ex hoc aduersarios timere detegerentur, et plus quam expediat formidare sepius forsan sine causa, cum ad hoc ambaxiatores transeuntes commu-
f ol. 62 v°. niter non| intendant, et solo transitu suo continuo noscere possint parum vel nichil. Vbi tamen suspicio fortis adest, melius est honestiori captata occasione non admittere tales suspectos, et per alia loca prout magis congruet expediri facere liberum transitum illis.

[CAP. XXIV.]

De fide ambaxiatoribus adhibenda.

Fidem plenam super omnibus et singulis ambaxiatam eis commissam concernentibus vna cum dependentibus et connexis exinde quicumque ambaxiatores habent de iure gentium et communi positiuo, ad causam eorum officii publici, et publice persone existunt. Ideo plena fides est adhibenda eis; quia in hoc quod ambaxiatores sunt, et ambaxiate ipsis comisse actu efficaciter insistunt, aprobate auctenticeque persone reputantur. Propterea mitentes confidenter queque quamuis grandia comittuntur illis, et per eosdem remittunt hii ad quos destinantur, et per ciuitates et loca per que transeunt quique terrigene relationibus talium libenter intendunt et prebent indubiam fidem, et super hiis que quomodolibet eis occurunt in via seu coram ipsis accidunt testes sunt omni excepcione maiores, staturque plene super talibus relacioni ipsorum ambaxiatorum in iudicio et extra propter fidem, auctoritatem et aprobacionem, quam ipsis et eorum officio ius naturale secundarium tradidit in omni gente patria et nascione. Tantam igitur auctoritatem, et fidem nemini licet violare.
fol. 63. Totis| viribus in seipsis illam irreprehensibilem ambaxiatores

quilibet cum irrefragabili veritate et omni maturitate sensus in omni verbo et opere conseruare debent et tenentur; eciam si ob hoc aduersa pati contingat ipsos. Talia pacientes beati sunt, fama et honore presentis seculi merito premioque celesti digni. Circumcisis labiis ambaxiatores ipsi studeant loqui prudenter, et in seipsis lubricum lingue pessundare, ne forte leuitate nimie loquacitatis notati minoretur eorum fides in eis. Cauciores cercioresque sint, ne conuincantur mendacio vel obprobrio falsitatis ad refferendum memoriter veraciter et integraliter que coram eis acciderunt, si gestorum veritas requiratur ab eis, nec vltro se perferant talia contestari, ne suspicione notentur. Relaciones et explicaciones ambaxiatam suam concernentes hiis ad quos pertinet certas claras et veridicas faciant quam primum poterunt, et sine mora, vt hoc onere liberati, commendationem recipiant laudem honorem et premium de labore condignum.

[CAP. XXV.]

De reuerencia et honoribus ambaxiatoribus debitis.

Jure succursum est laborantibus pro re publica reuerenciam et honores ab omnibus exhiberi debere, pariter et impendi, quatinus publice honorentur ab omnibus qui pro omnium vice bono comodoque communi laborant; sic eciam est deductum in usu, quod apud sedem apostolicam specialiter et in qualibet curia regali amba xiatoribus vndecumque transmissis in incessu fol. 63 v°. sedibusque pre ceteris defferatur in nomine representacioneque titulorum prerogatiuarum dignitatum et excellenciarum ipsarum personarum que miserunt illos. Idemque seruatur in omnibus magnis ciuitatibus locis sollempnibus vbique terrarum, eciam apud paganos, qui solent ambaxiatores eis directos vel per dominia ipsorum transeuntes sollempniter suscipere, tractare honorifice ac decenter, et multipliciter honorare. Dignum est namque ac rationi congruit, et retinet humane condicionis mos antiquissime vetustatis, vt ambaxiatoribus deferatur cum omni reuerencia et honore. Sic obseruandum introduxit antiquorum probitas in lege nature: sic comendauit peritorum sublimitas in lege scripture; sic grecorum magnanimitas precelse prefecture; sic romanorum vtilitas ab urbe condita; sic francorum strenuitas fidei christiane super omnia dedita deuocioni sedis apostolice dedita releuacioni cunctorum oppressorum intendere sollicita nunc vsque firmiter obseruauit; et in communi vsu omnium hominum facere contrarium decernitur esse profanum.

[CAP. XXVI.]

De priuilegiis ambaxiatorum.

Ambaxiatorum priuilegia publica sunt auctoritate licet vtilitate priuata, quedam in corpore vtriusque iuris positiui clausa, quedam moribus vtencium obseruata, quedam rei publice co-
fol. 64. muni conseruacione retenta.| Singulariter singula et omnia similiter quibuslibet ambaxiatoribus competencia que sunt in corpore vtriusque positiui iuris expressa peritis in iure notissima sunt, in foro et extra preferunt inmunitatem ambaxiatoribus, et tribuunt ius reuocandi domum. Priuilegia vero moribus vtencium obseruata sunt plurima, quedam in prioribus huius operis iam expressa, quedam secundum ritus et obseruancias regnorum et terrarum aliter et aliter, ambaxiatoribus tamen fauorabiliter seruari et exhiberi consueta. Priuilegia vero que rei publice vtilitate retenta sunt perpetua sunt, et pariter in omni regno terra et nascione ambaxiatoribus exhiberi et obseruari debita, que in libero et tuto accessu, transitu, et regressu cunctis ambaxiatoribus exhibendo, eisque nullatenus impediendo vel violando consistunt.

[CAP. XXVII.]

De crimine impediencium, capiencium et depredancium ambaxiatores.

Depopulatores agrorum, itinerum agressores, treuge et pacis violatores, ambaxiatorum depredatores inuasores oppressores, et itinerum ambaxiate ipsorum impeditores, paritate celeris aduersus rem publicam insistere nephanda temeritate conuincuntur. Ideo pariter arcendi sunt, quos bono rei publice pariter obsistere constat. Ambaxiatoribus pro vtilitate publica laborantibus pre-
fol. 64 v°. bentes obstacula, bonum publicum impe diunt, pacem et transquilitatem maiorum minorum et mediocrium retardant, sicque magis nocent quam qui in strata publica confodiunt et trucidant transeuntes. Qui igitur ambaxiatores officium suum debite exercentes vndecumque et a quibuscumque transmissos capiunt, depredant, et viam illorum impediunt, crimen graue commitunt, et comuni vtroque iure dampnantur, secundum vtriusque hominis statum, infamiam perpetuam incurrunt, et transmittunt suis posteris innominiam publicam et dedecus. Et nullatenus confouendi sunt, aut quomodolibet tollerandi. Qui talia scelera

commitentes receptant sustinent seu manu tenere contendunt acriter puniendi sunt. Taliumque scelus a committentibus excludit omnem ipso facto honorem.

[CAP. XXVIII.]

De saluo conductu ambaxiatoribus non denegando.

Saluus conductus per ambaxiatores tunc petitur, cum inter mittentes illos et eos quibus diriguntur est guerra aperta. Nec sic petitus est denegandus, et concessus seruandus est inuiolabiliter, nec quouis quesito colore frangi debet vel violari eisdem ambaxiatoribus in accessu, mora, pariter et regressu, et quanto ab aduersario et inimico grauiore mittuntur, tanto melius saluus conductus huius modi concessus illis seruandus est illibatus, tuncque maior honor seruantibus aduenit, obseruancium laus et fama celebrior eciam apud aduersarios publicatur, sequntur fol. 65. exinde discidiorum diffugia, dulcoratur amaritudo discordancium animorum, et remedia congrua denique incipiunt aperiri, tepescit grauis contencio malorum, deterior euitatur incursus, fit ad pacem vel treugam prosequcio diligens, compescuntur mala, que ex guerra seu discencione huiusmodi fuerant multiplicata in plebe, breuior discursus exinde sequitur ad concordiam aptiorem, et cuncta vitantur incomoda, que temere saluos conductus infringentibus ex aduerso contingunt, de fide mentita et securitate fracta. Tales eciam inter nobiles graues et bonos et plebeios quoslibet inferioris status, merito sunt infamie nota perpetua respersi; probitatis et credencie condignam extimacionem amictunt de iure pariter et de facto.

[CAP. XXIX.]

De grata recepcione ambaxiatorum redeuncium de ambaxiata.

De ambaxiata redeuntes ambaxiatores feci de labore, fatigati de itinere, atediati de negociacione, gratanter cum leticia et familiaritate recipiendi sunt ab eis qui miserunt illos. Talisque grata receptio est quedam ipsis ambaxiatoribus releuatio et recreatio susceptorum tediorum pariter et laborum. Et alia vice similiter multoque forcius laborandum in posterum animantur, et qui nondum talia nouerunt inducuntur suscipere libenter eadem post modum onera similium laborum. Decet enim laborantes fol. 65 v°. condigna releuamina consequi post grandes susceptos labores.

Contrarium agere inhumanun est, et qui talia agunt iudicantur ingrati atque cuncti scientes et valentes seruire in talibus, a sic ingratorum seruiciis merito retrahuntur. Nec qui miserunt ambaxiatores retrahi debent a grata et iocunda illorum redeuncium recepcione, posito quod ea pro quibus missi fuerant non expedierint ad votum, cum non steterit per illos qui diligenter prosequti sunt eis iniuncta, sicque nullatenus imputandum est ipsis. Letanter ergo recipiendi sunt, et iuxta labores condigne remunerandi per illos qui eos miserunt, et ab omni dampno et incomodo releuandi; sicque illorum officium ipsis ambaxiatoribus non debet vllatenus esse dampnosum. Sed ex illo gratanter suscepto, fideliter prosequto, diligenter finito, ambaxiatoribus sic bene meritis debentur laudes et premia pariter et honores secundum labores et status ipsorum, et quanto liberalior exhibetur illis manus remuneratoris, tanto maior et melior remuneratorem ipsum prosequitur fama laus et commendacio honoris, econtra vituperium aduenit tenacibus et non remunerantibus pro eis laborantes, et ingrati merito publice reputantur. Et dum post modum indiguerint laborare scientibus, sufficientes qui am-
fol. 66. baxiatas illorum prosequntur non inmerito reperire nequeunt, et eorum negocia retardantur, et sepius contra vota illorum aduenіunt et minus grato vel pocius malo fine clauduntur.

[CAP. XXX.]

Publice vtile est officium ambaxiatorum.

Ambaxiatorum officium quantum rei publice et toti orbi sit vtile, euidencia facti manifeste demonstrat, docetque hoc et ostendit experiencia, rerum magistra efficax; comoda hinc proueniencia, que notissima sunt, pariter contestantur. Qui ergo ambaxiatorum officium debite et diligenter exercent, laborantibus pro republica connumerantur in merito, premio, et honore.

Patratum fuit hoc opus apud villam Alchalam tholetane dyocesis, in curia magnifici principis domini Johannis castelle et legionis illustrissimi regis, in vigilia natalis domini anno incarnacionis dominice millesimo CCCC° XXXVI° per christi famulum Bernardum de rosergio vtriusque iuris doctorem Prepositum metropolitane ecclesie tholetane.

Tractatus varii de Legatis.

(Saec. XIII–XV).

Guilielmus Durandus (Durantis)

Speculum Legatorum [in eius **Speculo Iuris** Rubrica **De Legato**] [1]).

Quoniam legatorum officium seu potestas, paucis prudentibus innotescit, super quo dubia oriri videmus infinita, et peritos ad inuicem dissentire; idcirco de officio Legati plene tractare praeuidimus, et quoddam breue ac praelucidum formare Speculum legatorum. Caeterum quoniam quae sit eorum, vel etiam aliorum in dispensando potestas, semiplene a doctoribus iuris Canonici traditum est: idcirco hoc tractatu quadam noua doctrina plene de dispensationibus disseremus. Primo igitur de officio legati, secundo de dispensationibus disputare intendimus: vt sic binario numero huius tractatus lectio compleatur. Nobis ergo primo de legati officio tractaturis, videndum est, Quid sit legatus, et qualiter sit tractandus; Qualiter constituatur; Quot species sint, seu genera legatorum: Quid ad legati pertineat officium; et quae sit eius iurisdictio, siue potestas: Vtrum possit beneficia conferre:

---

1) De hoc loquendi modo, quo in aliis rubricis non vtitur, non mireris: quia hunc titulum a principio fecit et publicavit Speculator. Et quia sic publicatum erat in prima publicatione Speculi huius, illud non inscruit: postea mutato consilio, et bene, illum hic inseruit, aliquibus adiectis. [Joannes Andreas].

Auctor in hac Rubrica nihil est adiutus per suos practicos, qui specialiter de legatis nil tractauerunt in libris . . ., saluo quod per Rof[fredum] adiutus fuit in materia de procurationibus legatorum, quam vide infra *§ superest, ver. illud quoque* vsque ad *ver. legatus quoque* quam in libel. iuris canonici posuit Rof[fredus] rubr. de procurationibus. In tractatu etiam dispensationum, per quos extra illos libros adiutus fuerit, ibi dicam: in aliis habuit necesse ad Summistas recurrere, et ad gl[ossam] Azo[nis]; tamen in Summa *de offi. proc. et legat.* nihil profuit nostri Summistae multum contribuere . . . [Joannes Andreas]

Quae sint ei interdicta, et soli sedi Apostolicae reseruata; Quando, et vbi suam valet iuridictionem exercere: Qualiter eius potestas, seu iurisdictio finiatur.

§ 1. Legatus est seu dici potest . . .

Summarium.

1 Legatus quis sit, et qualiter sit tractandus Legatus dicitur vicarius muneris alieni.
2. Episcopi funguntur Christi legatione; et qui eos persequitur, Christum persequi dicitur.
3. Legatus et nuncius Apostolicae sedis sunt honorandi, et benigne tractandi: et contra facientes, qua poena puniantur.
4. Legatus potest vlcisci iniuriam sibi, vel suis manifeste illatam.
5. Debitor Reipublicae prohibetur iure ciuili esse legatus, non autem debitor fisci.
6. Mitti debet legatus talis qui habet spiritum Dei, et praecepta eius in conspectu suo, et qui Moysi, id est, papae notus sit et familiaris.
7. Constituit Moyses tribunos et centuriones, id est, superiores et legatos, in quibus erat veritas, et qui odio habebant munera.

1. Legatus est seu dici potest, quicumque ab alio missus est, vt *50. dist., presbyterum; 25. q. 1. satagendum; 3. q. 6 hoc quippe; 97. dist., nobilissimus; 62. dist. ego ad fi.; 94. dist. si quis legationem; 1. dist. ius gentium; ff. de legationib. l. 1. et 2. et l. sciendum, § fi.;* siue a principe, vel a papa ad alios, vt *ff. de offi. ass. diem.,* siue ab aliqua ciuitate, vel prouincia ad principem vel ad alium, vt *C. lib. 10. de le.* per totum; siue etiam a proconsule, vt *ff. de off. procon. et leg. obseruare, §. fi.* et *l. seq.* et *l. legatus.* et *l. seq.* Hinc est quod legatus dicitur vicarius muneris alieni, *ff. de leg. l. vicarius.* et *l. legatus.* Sed et nuncii, quos apud nos hostes mittunt, legati dicuntur, quorum legatorum causa sancta res est. Nam si quis eos pulsauerit, hostibus, quorum legati erant, tradendus est, vt illorum seruus efficiatur, *ff. de legationibus, l. fi.*

Nos tamen hic principaliter de illo legatorum genere tractare intendimus, quibus a sede Apostolica certa prouincia gubernanda mandatur: *Extr., de offic. leg. c. 1.* et *c. nouit.* et *c. seq.,* qui vocari potest missus Dominicus, vt *Extr. de red. et transeun. ad reli. c. 2.; Extr., de frig. et ma. c. 1.* vel apocrisiarius, vt *Extr., de cle., significasti.*

2. Episcopi quoque Christi legatione funguntur: vnde quis eos persequitur, Christum persequi dicitur, *7. q. 1. omnis, qui.*

Item sacerdotes legati Christi sunt: vnde illorum iniuria ad Christum pertinet, cuius legatione funguntur, vt *21 distinct. in nouo; 2. q. 5. habet hoc proprium, in fi.; 2 q. 7. accusatio in fine.*

3. Honorandus autem est legatus, et nuncius Apostolicae sedis, ac benigne tractandus, tanquam domini Papae vicem gerens: et si quis secus tyrannice praesumpserit, gradu proprio repulsus, vltimus omnium in ordine suo fiat, vt *93 dist. c. fi.* et eundo et redeundo in suis est necessitatibus adiuuandus, vt *Ext., de praesc., accedentes.* Et hoc quilibet episcopus in sua consecratione obseruaturum se iurat, vt *Extr., de iureiur., ego.* Quod autem legatus domini Papae sicut ipse sit honorandus, probatur *ff. de off. praefect. prae. Afric. l. vnica,* ibi: *Credidit ei princeps etc.; 94 aistinct. c. 1; C. de sum. tri., liquet, in prin. et in fi.,* vnde in parabolis Salomonis, c. 25: Sicut frigus niuis in die messis: ita legatus fidelis ei, qui misit illum, animam illius quiescere facit. Vnde sedes Apostolica honoratur in eius honore, vt *Ext., eo. ti., volentes;* imo qui legatum Apostolicae sedis impedierit, excommunicandus est, iuxta illud: *Debent legati tristia nulla pati.* De iure enim gentium est legatorum von violandorum religio, vt *1 dist., ius gentium.* Vnde Alex[ander] papa ait: Si quis legationem, id est, legatum impedierit, non vnius, sed multorum profectum auertit: et sicut multis nocet, ita a multis arguendus est, et bonorum societate priuandus, et quia Dei causam impedit, et statum turbat ecclesiae: ideo ab eius liminibus arceatur. Ab omnibus itaque talis est cauendus, et non in communicationem fidelium, vsque ad satisfactionem, recipiendus. Leguntur haec *94 distinct., si quis legationem.* Nam legatus fidelis, sanitas, quies quoque populorum, et disciplina spectaculorum ad eius curam pertinet: vt *ff. de offi. praefect. vrb. l. 1. § quies quoque.*

4. Sed nunquid legatus poterit excommunicare et punire eos, qui sibi vel suis, vel eius nunciis iniuriam, vel damnum inferunt, vel eius iurisdictionem impediunt? Ad quod, omissa solita doctorum disputatione, quae notari consueuit *23. q. 4. inter querelas etc. Guilisarius* et *2. q. 7. si quis erga* et *c. si quis ab episcop.,* respond. quod legatus potest vlcisci iniuriam manifeste sibi vel suis illatam: arg. *ff. de off. rect. prou. l. Senatusc.; Ext., de fo. comp., cum contigat, ad fi.; Ext., de off. arch., c. fi., versic.,* et potest suam iurisdictionem impedientes, et sibi non obedientes punire, arg. *Extr., de poen., Romana, lib. 6.* et *de offi. deleg. c. 1. etc.* preterea, cum suis concor. *ff. de offic. eius cui mand. est iur., l. fin.; 94. dist. c. 2.* alias delusoria videretur eius potestas,

si coercitionem eius non haberet, *Extr., de offic. deleg., ex literis.* Potius enim in hoc iniuriam Romanae ecclesiae prosequitur, quam suam . . .

[Legatus qualiter constitutatur.]

§ 2. Qualiter autem legatus constituatur, licet ad nos non pertinet tractare, quia hoc ex mittentis illum dependet arbitrio, tamen quia ex virtute literarum potestas dependet ipsius . . . ad aliquam instructionem verba, quae in literis legationis modernis apponuntur temporibus, supponamus . . .

Summarium.

1. Legatus qualiter constituatur.
2. Potestas legati dependet ex virtute literarum.
3. Instructio salutifera, quae in literis legationis apponi est solita.
4. Forma antiqua instituendi legatos.
5. Litera legationis debet continere principalem causam commissionis legati.
6. Legato in regno Franciae constituto, qui specialiter consueti sint committi, sunt tres, videlicet Viennensis, Lugdunensis et Bisuntinensis.
7. Legatus generalis non est mittendus, nisi de consilio collegii Cardinalium.

Legatorum genera sunt tria.

§ 3. Sequitur videre quot sint genera legatorum.

Summarium.

1. Usus Romanae ecclesiae solos Cardinales vocat legatos de latere.
2. Cardinales sunt sacerdotes Leuitici generis, qui domino papae in executione sacerdotalis officii coadiutores existunt.
3. Legati constituti sunt, qui non emanant de latere, sed eis committitur legationis officium.
4. Legatus emanens de latere, excedit legatum natum in quatuor.
5. Legato de latere praesente et insigniis vtente, patriarchae cessant portare crucem ante se.

Potestas legati, et ad eius officium quid pertineat.

§ 4. Superest videre quid ad legati pertineat officium, et quae sit eius potestas.

1. Et quidem ad ipsius pertinet officium, commissam sibi prouinciam tenere pacatam, et eam purgare malis hominibus, et eos punire: vt *ff. de off. praesi. l. 3.* et *l. congruit; Extra., de offic. iudic. ordin. cap. 1.* Quies enim populorum et disciplina spectaculorum ad illum spectat: vt *ff. de offi. praefect. vrb. l. 1 § quies quoque,* quia missus est et constitutus super

gentes provinciae sibi decretae, vt euellat vicia, et dissipet malos; aedificet virtutes, et plantet bonos: vt in constitut. *Clemen.* papae quarti, *eod. tit., ex parte* . . .

2. Tu dic quod legatus passim potest in prouincia sibi decreta cognoscere per simplicem querelam de omni quaestione ad forum ecclesiasticum pertinente, omisso quolibet ordinario, *Extra., de foro compe., c. fin.,* quia Roma communis patria est, *ff. ad muni. Rom.* Ipse enim plenissimam habet iurisdictionem, et maius imperium omnibus post principem . . .

[2—13. De iurisdictione legati.]

14. Praemissa autem et quae infra sequuntur, ad eos de iure communi pertinent: ex quo constat eos esse legatos, licet super his mandatum speciale non ostendant. — Quid si de legati iurisdictione dubitetur? Dic quod de ea fieri debet fides per literas legationis: nec prius est tanquam legatus recipiendus et tractandus: vt *Extra., de iureiuran., ego.* Nunquam enim Apostolicae sedis moris fuit, absque signatis apicibus vndecunque legationem suscipere: vt *97 dist., nobilissimus.* Ad idem *63 distinct., lectis,* et argumentum: *Extra., de off. deleg., cum in iure; de rescriptis, cum contingat; C. de mand. princ., l. vnica* et *lib. 10. de iure fis., prohibitum.* Si igitur sedes Apostolica aliorum legatos sine literis non suscipit: nec alii etiam sine literis suos recipere coguntur. Nam quod quisque iuris in alium statuit, ipse eodem iure vti debet: vt *ff. quod quisque in., l. 1.; Extra., de constit., cum omnes.*

15. Et propter hoc Apostolicae sedis legati in ingressu decretae sibi prouinciae solent legationis suae literas publicare, ne quis deinceps possit ignorantiam allegare . . .

16. Quidam tamen dicunt, legato cardinali, vel alio noto, et non suspecto, absque literae ostensione esse credendum . . . quod satis sustineri potest in his, quae ad legatum pertinent ex officio et iure legationis: secus autem quoad alia, quae speciale mandatum requirunt: indistincte tamen creditur eis: et raro videmus de ipsorum peti copiam potestate. Consulo igitur, vt quicunque aliquid a legato recipit, quod ad eum iure legationis non pertineat . . . habeat sub manu publica tenorem literae, per quam talis potestas ipsi legato est commissa specialiter . . .

17. Sed quid si legationis literae perditae sunt? . . .

18. Quid ergo si quis se pro legato gerit, cum non sit? . .

[19—20. Legatus potest particulare concilium celebrare, non generale, quod ius sibi Papa specialiter reservat.]

[21. Legati possunt absolvere eos qui violenter manum in clericos iniecerunt.]

[22–28 De provisione legatorum cum forma literarum, quas legati, seu nuncii solent super suis procurationibus mittere.]

[29. Legatus qua de causa possit literas apostolicas in irritum revocare].

30. Potest etiam legatus de latere interpretari mandatum domini papae, vt *Extra., de postul. prae., cap. 1., versic. nec valet.* Ex officio legationis potest interdicere totam terram regi adhaerentem: prout ibi not. secundum Papiam. Imo etiam commendatur processus eius contra regem Franciae factus post appellationem a rege interpositam, et post causas recusationis propositas: vt *Extra., de app., nouit.* Appellatione autem ad dominum papam interposita, se non intromittat, nisi prout no. infra *§ nunc ostendendum, ver. 33.*

[31–33. Legatus potest confirmare electionem illius, qui abiurato schismate ad ecclesiae rediit vnitatem, et praeficere etiam irregularem abbatem.

[34. Potest committere alii quae sibi sunt commissa].

[35–36. Statuta a legatis condita.]

37. Legatum enim, si sit cardinalis, dicimus similem proconsuli . . . quia cardinalis sumitur ex consiliariis domini papae . . . sicut et proconsul olim eligebatur ex consulibus vrbis Romae ad aliquam prouinciam regendam, *ff. de off. praesid. l. 1.; de off. quaesto. l. 1. § ex his,* vel potius praefecto praetorio . . . Alios autem singulos dicimus similes praesidibus, arg. *ff. de off. praesid. l. 2.*

[38. Legati Caesaris provincias regentes, *Praesides* appelantur, licet sint senatores.]

[39—40. De indulgentiis a legato concessis.]

[41. Legatus an possit aliquem reddere inhabilem ad beneficia ecclesiastica.]

42. Provinciae episcopi et omnes alii legato subsunt, et sibi obedire tenentur . . .

43. Creditur quoque sigillo legati de latere . . .

44. Et potest secundum interpretationem ecclesiae Romanae licite recipere ab electo equum vnum, et electuaria, vinum, et similia . . . Non enim debet in totum abstinere ab xeniis, nec etiam auare modum xeniorum excedere: quia valde inhumanum est a nemine recipere; sed passim, vilissimum, et per omnia, auarissimum . . .

45. Item patriarcha legatus ex causa reuocat indulgentias domini papae, et etiam suorum praedecessorum . . . Notandum

quoque est, quod legatus de latere potest ecclesiam inordinatam in praebendis et in aliis ordinare . . .

46. Potest etiam se opponere guerris et discordiis, et propter hoc de causa, quae est inter duos reges, cognoscere: vt *Extra., de iudi., nouit, §· 1.* Vtrum legatus vel alius possit suspendere interdictum in aliquam ciuitatem vel castrum prolatum . . .

[47. An possit concedere interdictis celebrare diuina.]

48. Potest legatus, etiam non de latere, regem et reginam male coniunctos separare: vt *Extra., qui fil. sint legi., per venerabilem, § verum.* Item is, cui aliqua caussa specialiter delegatur, maior est legato generali, quantum ad illam . . .

[49. Excommunicatus a delegato domini papae non potest absolvi a legato.]

[50. Negligens exequi inquisitionem commissam a papa, an possit cogi per legatum ad procedendum].

[51. Legatus licet alicui in aliqua causa commiserit vices suas, potest nihilominus revocare ad se causam.]

52. Illud autem notandum est quod dominus papa ita seruare debet, quod fit per eius legatum, ac si ipse fecisset: vt *2, q. 2, de caussa* et *ff. de off. procur. Caesa. l. 1. in princ.; Extra., de cler. excom. mi., proposuit; Extra., de app., nouit.* Credere n. debet princeps, eum qui ob singularem industriam, explorata eius fide et grauitate, ad huius officii magnitudinem adhibetur, non aliter iudicaturum esse pro sapientia et luce dignitatis suae, quam ipse foret iudicaturus: vt *ff. de offi. praefect. practo., l. vnica, prope finem; Extr., de rescriptis, super literis, prope finem; Extra., de off. leg., nouit.* Vnde non est intentionis domini papae, lites sopitas per legatum de ipsius latere missum suscitare: vt *Extra., de integ. restit., exposita,* nisi eius sententia foret iniusta, quia illam bene reuocat: vt *Extra., de re iudica* . . . . et idem honor illi exhibendus est, sicut et papae: vt *supra, § 1.* et ipse facere dicitur, quod eius legatus facit: *ff. de administr. tuto., l. ita tamen, § gessisse; Extra., de sent. excom., mulieres; 25. quaest. 2., si ea.*

53. Porro priuilegium legatorum est, vt legatione durante, respondere non teneantur, nisi de his tantum quae legationis tempore contraxerint: nisi forte legatione finita, in prouincia permanserint: vt *ff. de iudi. l. 2. § legatis* et *§ sequenti* et *ff. de off. praesi. Senatus.* Sed si ipsi agunt, et contingat eos reconueniri, respondere tenentur, nisi agant pro iniuria sibi illata: vel pro furto, vel damno: vt in *eadem l., § sed et si agant* et *ff. de legationibus, l. Paulus, responso 2.* et *l. sequenti;* potest

tamen in alium compromittere: *ff. de arbi., non distinguemus. § item si quis.* Legato autem tempus prodest ex quo legatus creatus est, non ex quo Roman venit: vt *ff. de leg., l. legato.* Item qui in legationibus publicis versati sunt, a ciuilibus muneribus et oneribus excipiuntur: vt *C. de lega. l. 4. lib. 10.* In transmarina autem legatione perfuncti, vacationem biennio habent: non tamen hi, qui de proximo obsequium Reipublicae videntur exhibuisse: vt *eo. tit. l. 3.* Item praeses prouinciae fines prouinciae excedere non debet, nisi voti soluendi caussa, dum tamen ei abnoctare non licet: vt *ff. de off. presid., l. illo.*

In summa no. quod ad officium legati pertinet, vt in adeundo facilem se praebeat: ita tamen, quod contemni non patiatur, nec in vlteriorem familiaritatem prouinciales admittat. Nam ex conuersatione aequali contemptus nascitur dignitatis. Sed nec excandescat aduersus eos, quos malam caussam fouere putat . . .

54. Vltimo consulo legatis, quod tam in citationibus, quam in confirmationibus, et in dispensationibus, et in aliis formis, sequantur stylum Romanae curiae, qui super iure fundatur. In summa vero nota, quod quibusdam legatis plus conceditur, et quibusdam minus, quod ex suarum literarum patet inspectione: vt *supra, versiculo nunquid legatus, in fine.* Quid si literae legationis indeterminate loquuntur? Respon. plena est interpretatio facienda in eis . . . Illud etiam nota, quod superueniente legato maioris auctoritatis, puta de latere, minoris officium cessat, quamdiu ille praesens est: vt *Extra., eo., volentes, Extra., de priui., antiqua.*

[55–61. Nonnulla de potestate supervenientis legati.]

[62. Imperium cuiuslibet legati deponitur in ingressu Romae.]

[Legatus utrum possit beneficia conferre.]

§ 5. Nunc tractemus, vtrum legatus possit beneficia conferre: et quidem legatus cardinalis potest ex suae legationis officio beneficia vacantia conferre: vt *Extra., de offic. leg., libr. 6.* sed constitutus et natus ex legationis suae munere hoc non potest, nisi eis specialiter sit indultum . . .

[Continet versic. 17.]

Interdicta legato et sedi Apostolicae reseruata.

§ 6. Nunc ostendendum est, quae sint interdicta legato. Super quo praenotandum est: quod de his quae sedes Aposto-

lica sibi specialiter in signum vniuersalis dominii reseruat, nullius generis legatus iure legationis se intromittere potest . . .

[Continet versic. 58, vbi de potestate sedis Apostolicae tractatur. Quae domini papae reseruata sunt, in thesibus 89 enumerantur.]

Legatus quando et vbi valeat suam iuridictionem exercere.

§ 7. Nunc dicamus, quando et vbi suam iurisdictionem seu potestatem legatus valet exercere. Et quidem postquam ingressus fuerit prouinciam sibi decretam . . .

[Continet versic. 16.]

10. Sed quaeritur, vtrum legatus possit absoluere capientem se? Io. no. *94. dist. c. 2.* quod sic: vt *Extra., de sent. excommunicat., ad eminentiam;* arg. tamen contra: quia non debet esse iudex in propria iniuria: *23, q. 1, c. 1 et 3; q. 5, quia suspecti, resp. 1.* . . .

11. Illud etiam quaeritur, vtrum legatus constitutus possit absoluere subditos suos, qui extra prouinciam suam deliquerunt: nunc vero ad illam reuersi, ab eo petunt absolui. Et videtur quod non, cum nequeat absoluere suos subditos extra prouinciam suam existentes, nec infra illam aliunde venientes: vt in *prae. Decr. excommunicatis;* arg. contra: quia eius subditi sunt, et in sua prouincia absolui petunt: vt in *eadem Decre.* Super hoc dixit dominus meus, quod non potest: nam talis potest iudicari aliunde veniens, cum ratione delicti factus sit de foro eius, in cuius iurisdictione deliquit: vt *Extra., de foro comp., cum contingat etc., c. fin.; C. vbi de cri. agi. oportet; Authen., qua in prouincia; C. vbi sena. vel clar., l. 1.; 3. q. 6. c. 1.* et ab illo potest excommunicari, vt *Extra., de rap., cap. primo.* Haec solutio probatur: *Extra., de sentent. excommunicat., officii.* Quod euidentius apparet, si ponas duos legatos eiusdem generis, et subditus vnius in alterius prouincia delinquat. Nam indubitanter is, in cuius prouincia delinquit, absoluere poterit. Et hac etiam ratione dici potest, quod aliunde veniens, et in sua prouincia delinquens, poterit per eum absolui: vt *ff. de offic. praesid., l. 3., versicul. habet.* Alii vero dicunt, quod potest absoluere suos prouinciales extra suam prouinciam delinquentes: argument. *decimasexta, quaest. prima, cap. placuit, 1.* Vnde secundum eos vnus legatus absoluere poterit ratione domicilii, alius vero ratione delicti: secundum ea quae not. in prae. *cap. placuit.;* sed secundum dominum meum, non est haec mens Apostolica: *Extr.,*

eod., volentes, quia sic fines prouinciarum confunduntur: quod esse non debet . . .

Potestas legati seu eius iurisdictio qualiter finiatur.

§ 8. Finitur autem legati iurisdictio quatuor modis principaliter. Primo, tempore, quando videlicet ad tempus datus est; argum. *ff. de arbitr., si cum dies, § si intra diem* et *Extra., de offi. dele., c. de causis.* Secundo, revocatione, ex qua videlicet revocatus, vel alio modo provinciam egreditur non reversus, *ff. de offi. praesi., l. 3, § 1, resp. 1; Extra., de offi. leg., novit* et *c. fi ff. de iudiciis, iudicium solvitur,* et tunc finitur legatio quo ad se, sed non iurisdictio in causis coeptis per alios, quibus eas delegavit . . . Superflua ergo videtur indulgentia, quam quidam legati obtinent: vt si contigerit eos propter aliquam causam exire provinciam suam, reversi ad illam possint hoc non obstante legationis officium exercere, argum. tamen quod sit necessaria, in qua etiam nota. *supra § super est, versic. item praeses.* 1. Sed si vocatus a principe exierit, non debet absque speciali mandato redire . . . Tertio, ex quo aliquod negotium retulit ad Apostolicam sedem, quoad illud negotium, eius iurisdictio est finita: vt *supra, § nunc ostendendum, vers. 33,* vbi etiam alii modi ponuntur. Quarto, morte ipsius legati, vel illius qui eum misit: et hoc quando personalis est legatio, secundum dominum meum, *Extra., de praesump., mandata,* non tamen quoad causas coeptas: vt in *Decr. gratum* et *eo. tit. relatum;* quia quoad illas, remanet legatio, non obstante morte mittentis: si autem ratione dignitatis competit legatio, tunc morte alterius expirat, vt *Extra., de offi. leg., c. 1.*

[2. Legatus generalis missus ad aliquam provinciam, si papa moritur eo exercente iurisdictionem, an vlterius poterit de causis cognoscere.]

[3. Concessio papae de puniendo abusores literarum Apostolicarum, an expiret moriente papa.]

[4. Legatus non est admittendus absque literis legationis, nec cum alio signo missus tanquam legatus est habendus.]

[5. Vacante sede Apostolica, an coetus cardinalium revocare possit legatos a papa.]

[6. Legatus de latere si facit constitutionem de non recipiendo beneficium ecclesiasticum, nisi cum residentia sub poena excommunicationis, an contra faciens teneatur.]

7. In summa notandum, quod princeps mittendo posteriorem legatum ad aliquam prouinciam, non videtur prohibuisse priorem: argum. *25, q 2, in Galliarum, prope finem* et argum.

ff. de leg., l. 2 § cessatio, sicut alias simile contigit in duobus tutoribus: vt *C. de testa. tu. l. 2.* Secus autem est in procuratore: vt *ff. de procur., si quis cum procurato., § fin.* et *Extra., co. tit., non iniuste.* Ad idem *Extra., de offi. deleg., pastoralis, § praeterea.* Sed nec legatus reuocatus deponit imperium et officium legationis; nisi velit prius, quod ei substitutus prouinciam ingrediatur, vt *ff. de off. proc., meminisse, respon. 1.* et *ff. de off. praef. Aug., l. vnica.*

[8. Legato praeterito debetur reuerentia in memoriam pristinae dignitatis.]

[G. Durandi, Episc. Mimatensis, Speculum Juris, ed. Francofurti, MDXCII, in-f°, pars I, pp. 28—53.]

Andreas [de] Barbatia [Siculus]

Tractatus de Cardinalibus legatis a latere.

[Editiones: 1) cum additionibus Jo. de Gradibus, Lugduni, 1518, in-f°; 2) in volumine XIV Tractatuum ex variis iuris interpretibus collectorum, Lugduni, 1549 in-f°; 3) in tomi XIII parte II Tractatuum Universi Juris, Venetiis, 1584, in-f°].

Praeludium.

Tractaturus de cardinalibus inquantum mittuntur legati de latere principis, tangam aliqua praeludia, 1. videlicet quis sit legatus. Et secundum Speculatorem in *tit. de legato, in princ.,* est quicunque ab alio missus est, *50 dist., c. presbyterum; 22 q. 1. c. satagendum; 3, q. 6., c. hoc quippe; 97 dist., c. nobilissimus; 94 dist., c. si quis legatione; 1 dist., c. iusgentium; l. 1* et *2* et *l. sciendum § fin. ff. de leg.; l. legatus ff. de off. procon.* siue mittatur a principe siue a papa ad alios, vt *l. diem functo ff. de offi. asses.,* siue ab aliqua ecclesia ad papam, in *Auctentica, de sanc. epis., § si vero episcopi,* siue ab aliqua ciuitate vel prouincia ad principem vel ad aliam, vt *C. de lega.* per totum, siue a proconsule, *l. obseruare § fi.* et *l. legatus* cum l. seq. *ff. de off. procon.* Sed sic capimus legatum prout mittitur ad gubernandum certam prouinciam, vt in *c. 1* et in *c. nouit* cum c. seq. *de off. leg.,* qui appellatur missus Dominicus *c. 2 de reg.* Dicuntur etiam legati omnes episcopi, nam Christi legatione funguntur, vt late dixi in tractatu de praestantia cardinalium, q. 1., et etiam sacerdotos legati sunt Christi. Vnde illorum iniuria ad Christum pertinet cuius legatione funguntur, *cap. in novo 21 dist.; capit. accusatio ad fin. 2. q. 7.*

2. Et talis debet legatus mitti, qui in semetipso habeat spiritum Dei et praecepta eius in conspectu suo sint, et qui Moysi i. papae sit valde notus et familiaris, id est, in quo sit charitas eius et legis scientia, vt possint eum audire filii Israel, *8, q. 1, si ergo, in fi* . . . Et horum legatorum missorum ad regendas provincias sunt tria genera. Quidam sunt legati constituti seu missi, quibus committitur officium legationis, non tamen mittuntur de latere papae . . . Quidam sunt legati nati . . . Quidam sunt legati de latere papae et huiusmodi sunt venerandi patres domini cardinales. Potest tamen dici de latere papae missus, etiam si non sit cardinalis, puta aliquis officialis eius, vel capellanus, vel familiaris, vel etiam extraneus, dummodo hoc exprimatur in literis suae legationis, sed usus Romanae ecclesiae solos cardinales legatos de latere vocat . . .

4. De legatis autem missis aut natis non intendo aliquid hoc loco dicere, sed duntaxat de legatis cardinalibus . . .

Prima quaestio Basilica.

Prima quaestio. Cardinalis si facit aliquid et asserit facere illud tanquam legatus, nec aliter docet per literas papales de sua legatione an sit sibi credendum . . .

[Continet versic. 12]

Secunda quaestio Basilica.

Sequitur in ordine secunda quaestio disputanda, videlicet posito quod stetur dicto legati de latere in praeiudicium alterius de stilo Romanae curiae vt dictum est, vtrum possit probari contrarium, nec reperio istam quaestionem quo ad legatum de latere per aliquem scribentem usque ad hos dies tactam . . .

[Continet versic. 14.]

Tertia quaestio Basilica.

Restat tertia in ordine quaestio, an legatus cardinalis possit allegari suspectus in causa in qua cognoscit vt legatus . . .

[Continet versic. 33]

Quarta quaestio Basilica.

Sed apprime applicatur quaestio pulchra. Princeps commisit causam legato de latere, qui in veritate erat suspectus, apposita clausula quod non possit opponi exceptio recusationis,

vtrum possit hoc fieri, et ex hoc infertur ad statutum Senense, quo cavetur quod iudex non possit recusari vt suspectus . . .
[Continet versic. 12.]

Quinta quaestio Basilica.

Quid si recusatur delegatus antequam receperit rescriptum delegationis, an possit recusari . . .
[Continet versic. 29.]

[Tractatus Universi Juris, tomi XIII, part. II, foll. 131—142.]

Martinus Gar[r]atus [de Caratis sive Caraziis] Laudensis.

Tractatus de Legatis maxime Principum.

[Editiones: 1) „Solennes et quotidiani, ac practicabiles Tractatus domini Martini de Cazariis Laudensis iurisconsulti," Lugduni, 1530, in-8° *(Br. M.)*; Tractatus de legatis maxime principum impressus est foll. XXI v°–XXII v°; 2) in volumine XI Tractatuum ex variis iuris interpretibus collectorum, Lugduni, 1549, in-f°; 3) in tomo XVI Tractatuum Universi Iuris, Venetiis, 1584, in-f°.]

Quaestio prima.

Si legatus infirmetur, expensae debent ei solui a Principe, vel ciuitate mittente eum: *l. si cui § 1 ff. ex quibus caus. maio.* Et an legatus teneatur restituere donata in legatione Principi suo, vide not. per Doctores in *l. qui proprio § vt in caeteris ff. de procur. et in l. sed si plures § in arrogato ff. de vulg. et pupil.*

Quaestio secunda.

Superuenientibus legatis regis, vel alterius illustris Principis potest expelli de hospitio hospitatus vilis conditionis, cum legati non possint commode hospitari nisi illo eiecto, argum. *l. nubemus C. de sacrosan. eccl.;* nam hospes non potest expellere volentes hospitari, nisi ex causa, puta quia hospitari volens est infamatae vitae, vel si hospitium ab aliis est praeuentum, secundum Augelum in *l. 1. § caupo ff. fur. aduer. nau. stabu.*

Quaestio tertia.

Si legati Principis expendant ultra salarium eis constitutum, non recipient a Principe, textus et ibi Albericus in *l. idemque*

§ Labeo ff. mand.; quod verum intellige, nisi verisimile sit, Principem plus voluisse expendere ex iusta causa superuenienti: *l. 1* et toto titulo *ff. de neg. gest.* et *l. vel uniuersorum ff. de pig. actio.*

Quaestio quarta.

Legatio dicitur officium: *l. 1. ff. ex qui. cau. maio.* et ibi Albericus; propterea lex loquens de officio habet locum in legatione, quod not. quia vidi dubitari in statuto loquente de officiali.

Quaestio quinta.

Si quis verberasset, vel iniuriam fecisset legatis principis, vel comitibus legatorum, tenetur l. Iulia de vi publica: sed in alio priuato secus, textus not. in *lege Iulia in fin. ff. ad leg. Iul. de vi publi.*

Quaestio sexta.

Si princeps, vel communitas mittat legatos ad alium principem, vel communitatem, et legati sine eorum culpa amittant res, quas portarunt secum causa honoris sui principis, puta vestes, vel argentaria, communitas vel princeps tenetur emendare legatis. Secus si portarunt res non causa legationis sed mercimonii. Item expensas medicorum debent consequi. Item sunt in culpa, si possunt ire commode per terram, et vadunt per aquam, secundum Iac. Buttrigarium in *l. cum duobus § quidam sagariam ff. pro soc.,* et vide Baldum in *c. sicut, de iureiur.,* qui limitat Bartolum in *l. si seruum ff. de fur.*

Quaestio septima.

Statuta, consuetudines, et priuilegia principum rebellium imperii vel ciuitatum imperii et sic hostium imperii non sunt seruanda; quia perdiderunt omnia, quae sunt iuris ciuilis, secus si non sunt rebelles imperio: *l. qui a latronibus, ff. de testa.,* et ibi Bartolus qui ait, quod si legatus est in legatione apud hostes populi Romani, non potest testari secundum ius Romanum. Nec obstat *l. 2 C. quemad. test. ape.,* quia loquitur quando testamentum fit in solo Romano, sed quando fit apud hostes debent seruari iura Romana, non autem statuta, vel consuetudines hostium imperii, sed Baldus in dicta *l. 2* dicit se consuluisse, quod testamentum mercatorum in Anchona factum in

terris Soldani Babyloniae secundum merum iusgentium valet: quia praesumitur ibi vigere iusgentium in dubio, nisi contrarium probetur. Nec. ob. d. Bartol. in dicta *l. qui a latronibus,* quia loquitur in hostibus imperii, tene menti.

Quaestio octaua.

Creditur legato de latere, *gl. XCVII. distin., c. nobilissimus,* vide Balum pulchre loquentem in *c. cum in iure peritus, de offi. dele.* et Speculatorem in titulo *de legato,* vbi plurima ponit.

Quaestio nona.

Legatus pauper, miles pauper, et decurio pariter pauper, et pauper qui est in carcere sunt alendi de re publica. Speculator in *tit. qui fil. sint legi. § 1.* versiculo *quid de adoptiuo.*

Quaestio decima.

Princeps misit legatum ad alium principem vel communitatem, postea misit alium legatum secundum, non dicitur reuocatus primus, glossa not. *quaest. 2. capit. et in gallorum,* licet secus sit in procuratoribus: *l. si quis cum procurator. §. fin. ff. de procur.*

Quaestio vndecima.

Si legati differant reuerti, cum possint, non gaudent priuilegio eorum: *l. item hi § 1.* in glossa *ff. ex qui. cau. maio.* et *l. fin. C. de commerciis et mercato.*

Quaestio duodecima.

Si quis legatum, vel hostium, vel amicorum impedit, secundum Canones excommunicatur, sed secundum leges traditur hostibus, vt fit seruus illorum, glossa no. in *c. iusgentium* in verbo *legatorum, II distinctio.* et vide *l. fi. ff. de legatis.*

Quaestio XIII.

Legati cardinales habent iurisdictionem contra exemptos exceptis casibus reservatis: Baldus in *c. 1. de offi. lega.*

Quaestio XIV.

Licet legati Papae habeant ordinariam potestatem quo ad iurisdictionem: *c. II. de offi. lega. lib. VI,* tamen quo ad con-

ferenda beneficia habent extraordinariam iurisdictionem, quia ex officio proprio legationis non venit potestas conferenda, hinc est quod legati non cardinales non habent potestatem conferendi nisi ex speciali privilegio, *cap. 1. de offi. leg. lib. VI.* et vide glossam cum texto *in Cle. II. de offic. ordi.* Sed papa est generalis ordinarius in collatione beneficiorum, *cap. primo, de praeben. lib. VI.*

Quaestio XV.

Legatus, qui reuertitur in terris, debet habere totum salarium illius diei: *l. itinere ff. de verb. signi.* et Bartolus in *l. de diuisione, ff. solu. matr.;* secus si salarium mensis et reuertatur in tribus hebdomadis. Baldus in *l. Lucius, § a te peto, ff. de leg. II.*

Quaestio XVI.

Legatus tenetur soluere vectigal pro rebus, quas portat non sui vsus causa: textus cum glossa in *l. legatis C. de vectiga.*

Quaestio XVII.

Ciuitas eligit ciuem pro legato, ciuis electus se excusat, quia reperitur alius melior, talis excusatio non prodest; quia in legatione ordo non seruatur: glossa *XI, q. vlti., quid ergo.*

Quaestio XVIII.

Legati habent immunitatem a lege, vt possint ire secure etiam ad hostes, et pacta vel legatorum capitula sunt conuentio publica: *l. conuentionum,* in texto et glossa *ff. de pactis.*

Quaestio XIX.

Iniuria illata nuncio principis dicitur illata principi: glossa in capitul. *cum olim magister, de offi. delegat.*

Quaestio XX.

Si princeps mandat legatum, non oritur actio mandati inter principem et mandatarium; quia titulus mandati non habet locum in publica persona: *l. si quis procuratorem C. de decur.* et Albericus in *l. 1. C. de eden.*

Quaestio XXI.

Legati existentes apud hostes possunt testari secundum ius Romanorum, secundum Angelum in *l. qui a latronibus § 1 ff. de testam.*

Quaestio XXII.

Legati principis vel ciuitatis quibus donatur solent de consuetudine retinere donata: Jacobus de Arena et Cynus in *leg. manifestissimi, in fin. C. de fur. not. consuetudinem,* argum. *l. minime ff. de leg.*

Quaestio XXIII.

Licet vnus ex legatis decedat, tamen non accrescit alteri legato collegae salarium praecedentis: Bartolus in *leg. 1. C. de leg. lib. X.*

Quaestio XXIV.

Legatio ad remotas partes tribuit vacationem ab omnibus muneribus ciuilibus, legatio vero de propinquo tribuit vacationem a munere per biennium ei, qui in legationem iuit: *l. II C. de leg.* et ibi Bartolus et vide Bartolum in *l. vniuersi C. eo. titu.*

Quaestio XXV.

Decuriones ciuitatis subditae principi non possunt mittere legatum ad alium principem sine licentia principis: *l. fina. C. de legat.,* et ambasiatores debent petere literas suae legationis: *l. 1. C. de manu. princi.*

Quaestio XXVI.

Si legati sine causa vadunt per vias non rectas non debent habere salarium pro illo tempore: Baldus in *l. qui fiscales C. de lustri. auri. col.*

Quaestio XXVII.

Legatus principis maioris debet praecedere legatum principis minoris: argum. *si apostolica sede, de praeben. lib. VI* et *c. 1* et *II de offi. leg.* et *C. vt digni. ordo seruetur,* in rubro et nigro, facit glossa in *l. restituendae C. de aduo. diuersorum iudiciorum.*

Quaestio XXVIII.

Licet legatus debeat dimittere procuratorem, qui eum defendat in causis caeptis: *l. cum qui ff. de lega.;* tamen si

paruo tempore debet reuerti non tenetur dimittere procuratorem, secundum Cynum et Angelum in *l. cum antiquitas C. de testa.*

Quaestio XXIX.

Consului in ciuitate Senarum, quod licet doctor legens non possit aliud officium exercere: Guilielmus et Baldus in *l. lecto. ff. si cer. petr.;* tamen si princeps vel populus liber, qui habet auctoritatem principis, eligat scienter doctorem legentem ad officium legationis, videtur dispensari: quia certa scientia principis aequiparatur clausulae non obstantibus, quando non tollitur ius tertii: Baldus in proemio feudorum XIII col. et Archidiaconus [Guido de Baysio] in *c. si eo tempore, de rescript. lib. VI.*

Quaestio XXX.

Legatus, vel miles dicitur absens ex causa probabili et necessaria propterea non defensus, vel minus legitime defensus, restituitur ad totam causam, vel ad appellandam, nisi iudex sciuerit absentiam: quia tunc sententia est nulla: *l. quaesitum,* per Bartolum *ff. de re iudi.* et per Bartolum et Angelum in *l. fi. ff. de in inte. resti.*

Quaestio XXXI.

Legati dicuntur sancti: Angelus in *leg. II. § legatus ff. de iudi.;* et legati non possunt capi pro represaliis: Bartolus in *l. fi. ff. de leg.*

Quaestio XXXII.

Legatus qui abest causa reipublicae excusatur a tutela: *l. penu. & l. fi. C. si ex fal. alleg.*

Quaestio XXXIII.

Legatus de latere priuatus est officio legationis, quam primum portam Romae ingreditur, eodem modo legatus alterius principis quamprimum ingreditur principaliorem ciuitatem principis, in qua residet princeps: *l. fi. ff. de offi. proconsulis* et *lega.;* vide Speculatorem in titulo *de lega. § fina.*

Quaestio XXXIV.

Aliquibus ciuitatibus non est permissum mittere legatos: textus sub rubrica *vt interdictus sit in Lombardia,* vltimo folio,

et creditur legato de latere sine literis de lega. secundum Ioan. Andream in *c. cum literis, de in integ. restitu.*

Quaestio XXXV.

Legatus a principe, vel comite missus ad Romanum Pontificem impetrauit beneficium a summo Pontifice pro fratre suo: non incidit in aliquam poenam ordinariam, vel extraordinariam, secundum Angelum consil. CCXXX. Ratio est: quia legatus prohibetur tractare negotia propria vel aliqua, ex quibus abstrahatur a legatione, et per hoc reipublicae, vel ciuitatis, vel principis sui praeiudicium infertur. Et ideo legatus non potest moram facere, vel differre, alias punitur; quia mouetur ab ordine & extraordinarie punitur: *l. I* et *II § 1 ff. de legati.* Caetera autem omnia quaecunque agere voluerit, per quae nec officium deseratur, nec damnosa mora contrahatur, agere possunt etiam nulla necessitate subsistente, et hoc praesentit glossa expresse in *l. legatus*, in secunda solutione contrarii ad *l. II § sed si ff. de iudi.;* hinc est, quod possunt adire haereditatem et restitutionem recipere cum legatio per hoc non abstrahatur: *l. non aliter l. de eo § sed si restituitur ff. de iudi.;* hinc descendit, quod consilium cum amico gratis percipiant: quia actus consulendi expeditur sine dilatione et damno reipublicae; non gratis autem non: sicut aduocatorum, doctorum, et medicorum consilia, quae accepta pecunia praestantur et longum solent tractum habere: *l. Paulus in fi. ff. de leg.* Et licitum est munera suscipere ab his, ad quos mittuntur, sicut fecerunt legati Mediolanenses de quibus in *l. si vero § item si quidem ff. sol. matri.* et *l. qui proprio § in caeteris ff. de procur.* et ibi per Guilielmum Raynerium et Angelum. Nam et Bartolus in legatione qua vsus ad imperatorem Carolum quartum Pisis nomine communis Perusii impetrauit ab eo arma, idest leonem, de quo per eundem in tractatu de insigniis et armis.

Quaestio XXXVI.

Legatus tempore infirmitatis debet habere salarium: Baldus in *l. si cui § 1 ff. ex quibus cau. maio.*

Quaestio XXXVII.

Legatus decedens transmittit salarium ad suos haeredes: *l. legatus § si quis in munere ff. de lega.*

Quaestio XXXVIII.

Legati appellantur sancti et inferentes eis iniurias incidunt in sacrilegium, vt *l. I ff. de leg.* Hoc no. Angelus in *l. consensisse § legatis ff. de iud.*

Quaestio XXXIX.

In legatione generali principis non veniunt reseruata principi: Angelus in *l. si quaerimus ff. de testa.*

[Tractatus Universi Iuris, tom. XVI. foll. 212—213.]

Gondissalvus de Villadiego.

Tractatus de Legato.

[Editiones: 1) in volumine XIV Tractatuum ex variis iuris interpretibus collectorum, Lugduni, 1549, in-f°; 2) in tomi XIII parte II Tractatuum Universi Iuris, Venetiis, 1584, in-f°.]

Post tractatum nuper aedificatum de cardinalibus et eorum excellentia ac dignitate, quoniam saepe contigit, quod ipsi a sede apostolica destinantur legati, dignum duxi de legato quoque aliqua in praesentiarum breviter annotare. Et quoniam legatus generaliter dicitur quicunque ab alio missus est, ut *50 dist., presbyterum; 3, q. 6, haec quippe; 97 dist., nobilissimus; 63 dist., ego, ad fi.; 94 dist., si quis legationem; 1 dist., ius gentium; ff. de leg. 1* et *2* et *l. sciendum § fi.;* pro quo vide bonam glossam *C. de leg. lib. 10* in rub. Ideo ut de singulis agamus, placuit praesentem tractatum in tres principales partes dividere. In prima agetur de legatis sedis apostolicae. In secunda de legatis aliorum inferiorum. In tertia vero de nuntiis, qui ad inferiora ministeria, in iudicio et extra, deputantur, disseremus.

Pars I. [foll. 258–278 v°].

Quaestio prima.

Pro expeditione primi articuli quaero, an papa solus sine consilio cardinalium possit deputare legatum.

Quaestio II.

Secundo quaero, qualis debeat esse legatus. [= Barbatia, Praeludium, num. 2]

Quaestio III.

Tertio quaero, quot sunt species legatorum apostolicorum. Dicas quod tres . . .

Quaestio IV.

Quarto quaero, utrum legatus unus possit deputari in multis provinciis et dicendum est quod sic . . .

4. Secus autem si non ratione Regni pertinerent [sc. provinciae] ad eum, sed ratione personae suae, utpote si ab aliquo sibi obvenissent ex testamento vel ab intestato tanquam proximiori, aut alias si donationis titulo, quae personae intuitu et non dignitatis regiae sibi fieret, ad eum pertineret, tales enim prouinciae cum ad personam principis pertineant, et non sint de regni corona, minime dici possunt regno adiacentia. Idem dicerem si novas provincias rex acquireret armorum potentia, quae alias ad regni coronam non pertinebant ratione praedicta. 5. Insulae etiam maritimae, quae ad regnum praedictum pertinent, vel si de novo apparerent, et illi regno proximiores essent, adiacentes provinciae dicerentur, ratione enim vicinitatis ad illum spectarent, ut in *l. insule ff. de iudi.* et ibi tenet Angelus; idem tenet Bartolus in *l. unica C. de clas., libro undecimo.* Facit ad hoc *l. Caesar ff. de publi. et vecti.* et ideo in praedicta legatione comprehenderentur . . . . .

14. Quando rex Angliae habebat Ducatum Gasconiae sibi subiectum ex eo quod erat ducatus de per se, non autem erat pars regni Angliae, non poterat extra Gasconiam, videlicet in Anglia, causas Gasconiae expedire, sed debebat expedire per vicarios vel delegatos per eum constitutos in Gasconia, quia istae iurisdictiones sunt omnino separatae. Ad hoc est glossa no. in *l. 3. ff. de off. praesid.* et ibi tenet latius et clarius Baldus § 15. Ad idem facit quod not. Bartolus in *l si convenerit,* la secunda, *§ si nuda ff. de pign. act.*, ubi dicit, quod quando regno adiicitur provincia non accessorie non debet regi secundum leges regni, sed secundum suas leges proprias, quia non est pars regni, sed diversa provincia, et ponit exemplum de comitatu tolosano respectu regni Franciae.

Quaestio V.

Quinto quaero, quibus insigniis utatur legatus sedis apostolicae et ubi.

Quaestio VI.

Sexto quaero, quem ordinem debeat tenere legatus intrando provinciam sibi decretam.

Quaestio VII.

Septimo quaero, qualiter debeat legatus honorari in provincia sibi decreta.

Quaestio VIII.

Octavo quaero de potestate legati circa iudicialia exercenda.

Quaestio IX.

Nono quaero de potestate legati circa beneficia conferenda.

Quaestio X.

Decimo quaero, an legatus possit congregare concilium.

Quaestio XI.

Undecimo quaero de facultate legati circa auctoritatem interponendam in alienationibus rerum ecclesiasticarum.

Quaestio XII.

Duodecimo quaero, an legatus possit visitare provinciam suam.

Quaestio XIII.

Tertio decimo quaero de facultate legati circa absolutionem a sententia excommunicationis impendendam.

Quaestio XIV.

Quarto decimo quaero de facultate legati circa dispensationes faciendas.

Quaestio XV.

Quinto decimo quaero, ubi et quando legatus iurisdictionem suam et potestatem exercere valeat.

Quaestio XVI.

Sexto decimo quaero, qualiter finiatur iurisdictio legati.

Pars II. [foll. 278 v°—280 v°].

Quaestio I.

Nunc vero de secunda parte principali tractatus nostri agendum est, scilicet de legatis inferiorum. Iuxta quam materiam primo quaeritur, quis possit tales legatos creare.

[2. Consilium civitatis sine adunantia generali ardua non expedit.]

[3. Officialium et sindicorum electio ad consilium civitatis spectat.]

[4. Absentes in actibus universitatis an et quando expectandi sunt.]

[5. Legatus quando creatur, quae personae ad consilium vocandae sint.]

[6. Minores 25 an in consilio vocem habent.]

7. An autem clerici vel praelati possint esse legati vel ambasciatores principum secularium? Dicendum quod sic . . . ubi autem negocia essent spiritualia et pia, licite posset clericus et praelatus horum executionem et procurationem etiam generaliter suscipere, quia non reperitur hoc prohibitum . . . 8—9 . . .

Quaestio II.

Secundo quaero, secundum quem ordinem legationes deferantur. Ad hoc respondet textus in *l. sciendum § fi. ff. de leg.,*

quod ordinatim sunt iniungendae, videlicet, ut illi, qui primi sunt, prius subeant, et sic per ordinem subsequentes, si tamen qualitas negotii exigeret, ut hic ordo non teneretur, perverti potest, utpote si ex secundo ordine et terno legatio defertur minoribus, et tamen qualitas negotii exigeret, quod de antiquioribus seu maioribus legatus deputaretur, ut dicit ille textus no.

2. Ex quo infertur, quod ad magna negocia magni et excellentes ambasiatores sive oratores sunt mittendi, sic et exemplis sacrae scripturae docemur, nam ad ministerium incarnationis Christi virgini annunciandum, quod inter omnia fuit excellentius, non Angelus, sed Archangelus missus est, ut patet Luce 1. Secundum etiam diversitatem rerum agendarum diversi ad diversa mittendi sunt, non enim omnes valent ad omnia, sed certi ad certa meliores et deteriores reperiuntur, ut in simili dicit textus in *l. 1 § sed hiis C. de vet. iur. enu.*

3. Neque multitudo legatorum mittenda est, sufficiunt enim ad plus tres legati, ut dicit textus in dicta *l. sciendum § fi.* Et si aliquis ex illis moreretur vel aliter impediretur, totum exercitium ambasiatae maneret apud alios, pro quo est textus in *l. 2 C. de leg., lib. 10.* Et ibi tenet Angelus. Et si filius suscepit legationem pro patre, ut eum excusaret, non propterea excusabitur, quin ex persona propria deberet iniunctam legationem suscipere, ut in *l. filius decurio. ff. eod.*

[4. Legationis munere filii familias non excusantur et quare.]

[5. Decuriones voluntarie se absentare non possunt.]

[6. Clericus, etiam peregrinationis causa ad longum tempus sine episcopi licentia se absentare non potest.]

7. Postquam autem susceperunt legationem, adeo diligenter et operose eidem intendere debent, quod neque propriis negotiis se possunt interponere, ut in *l. Paulus § fi. ff. de leg.*; in *l. legatus, eo. tit.* Fallit hoc in hiis quae ad iniuriam eorum vel damnum commissa sunt, ut in dicta *l. legatus* et in *l. de. [decima?], eo. tit.* Potest quoque si tutor est pupilli sui nomine causam instituere et defendere: *eod. tit., l. si absenti, § qui legationis.* Fallit etiam in domo, quam emere potest in propria patria durante legatione, ut in *l. legatus creatus, eod. tit.* Et est specialitatis ratio propter necessitatem habitationis, quia domus unicuique tutissimum refugium est, *ff. de in ius vocan., l. plerique.*

8. Et nedum unam legationem potest quis suscipere, sed

etiam plures, dummodo ipse subeat sumptus et itineris compendium, ut in *l. eundem plures, eodem titulo.*

Quaestio III.

Tertio quaero, quibus ex causis possit se excusare is, cui legatio est iniuncta . . . .

[2. Legationis transmarinae officio functus biennii vacationem habet.]

3. Ad inimicum suum non compellitur quis suscipere legationem, nec ad amicum vel domesticum inimici, ut patet ex praedictis, nam inimici mei amicus vel domesticus censetur inimicus meus, ut in dicto *§ si accusatio* et in *l. liberi C. de inoffi. testa.* et in *c. repellantur, de accusa.*

[4. Legatus se excusare non potest, quod alii meliores correperiantur.]

[5. Appellatio an necessaria sit, si excusationem legitimam habenti onus iniungatur, vel contradicere sufficiat.]

[6. Munus publicum cessante iusta excusatione subire recusans quomodo puniatur.]

[7. Muneris sibi iniuncti ab onere pecunia se redimens quomodo puniatur.]

[8. Legati an et quando aliquem loco sui substituere possint.]

[9. Substitui quis in officio non potest, qui uti principalis dominus suscipere nequit. Substitutus si in officio delinquat, an principalis teneatur.]

10. Considerandum est etiam, quod sunt, qui nequeunt deputari legati, utpote qui est debitor reipublicae, debitores autem fisci non prohibentur legatione fungi. Praeterea qui non possunt postulare, non possunt legatione fungi. Hoc totum probatur per dictam *l. sciendum, in princ.* et *§ 1* . . . Ex quo arguitur, quanta integritas et probitas in oratoribus exigatur, quod praecipue ubi ardua destinantur negocia observandum est . . .

Quaestio IV.

Quarto quaero, an legato debeat constitui salarium. Et dicendum, quod sic.

[Legatus etiam si salarium recipiat, privilegiis legationis utitur, secus in aliis officiis.]

[3. Legatus ad restitutionem salarii non tenetur, quod pro certo tempore recepit, si ante illud tempus moriatur.]

[4. Legati duo seu ambasiatores si deputati sint, et unus decessit, vel alias officium non implet, an eius salarium socio accrescat.]

[5. Officium si solet per unum regi, si duobus datum fuit, salarium dividi debet.]

[6. Legati seu ambasiatores ultra salarium donaria recipere possunt ab his, ad quos mittuntur.]

[7. Decuriones legationis causa res civitatis donare possunt.]

[8. Dona preciosa legatis facta ab his, ad quos mittuntur, an eis, vel civitati, quae eos misit, cedant.]

Haec quaestio fuit alias de facto in ambasiatoribus Mediolanensibus missis ad Imperatorem, et tangit eam glossa in *l. qui proprio § procurator,* ut in caeteris *ff. deprocura.* et *l. si vero, § Item quicquid ff. solu. matrim.* Et utrobique videtur esse de mente sua, quod aut fuit sibi donatio facta intuitu legationis, et tunc cedat civitati, aut intuitu personarum ipsorum ambasiatorum, et tunc eis cedit. Iacobus de Ravenna, quem sequitur Cynus in *l. manifestissimi C. de furt.* supponit in dubio praesumi, quod eis fuerit donatum intuitu civitatis, ut *C. de summa trinit.,* epistola *liquet, in fin.,* tamen nihilominus donata pertinent ad ambasiatores, et non debent restitui. Primo, quia ambasiatores sunt liberae personae et possunt sibi acquirere, nec intelligitur alia persona in huiusmodi donatione, nisi fuerit expressa; arg. *ff. de verb. obligat., l. quis ita stipulatus, § grisogonus [?] ff. de leg. 1. l. civitatibus.* 9. Secundo, ratione quia sic fieri consuevit, quod remaneant ambasiatoribus, et ipsi ea sibi retineant, et ista ratio concludit secundum eum, quoniam praesumendum est pro eo quod fieri solet, ut *ff. de pact., l. iur. gentium, § pactorum.* Bartolus etiam in dicta *l. si vero* et *l. qui proprio* indistincte tenet donum cedere ipsis ambasiatoribus, pro quo dicit esse textum expressum, in *l. socium qui in eo., § fin. ff. pro socio.* Hoc tamen limita, nisi ex qualitate doni appareret, quod donator voluit illud cedere civitati, ut puta si donavit ambasiatori Leonem. Hoc ultimum tenet Ioan. Andreas in *capit. a collatione, de appell. libro 6 in nove.*

10. Praedictis subiungitur quaestio notabilis. In superiori quaestione praemisimus de lucro. Quid tamen de damno, ut ecce civitas mittebat legatum vel oratorem, ille captus est in via a latronibus. Quaeritur, utrum civitas teneatur eum redimere. Et videtur, quod non, secundum Speculatorem titulo *de iudiciis, § spiritualia,* versiculo *pone, quod mandasti;* pro quo inducit, nam potius videtur hoc imputari casui fortuito, quam mandato: *ff. mand., l. inter causas, § non omnia . . .* Bartolus tamen in *l. si servus communis, § quod vero ff. de furt.* dicit hanc quaestionem de facto contigisse Bononiae tempore Ioan. Andreae, et omnes doctores Bononienses dixerunt debere sibi damnum resarciri, de curialitate non de iuris rigore, per *l. inter causas, § non omnia ff. mand.* Sed dicit, quod quidam antiquus doctor reperitur, qui late prosecutus est istam quaestionem, s. Ioannes Fasion. de Pisis. Et primo arguit, quod non debeat fieri emenda de iure . . . . Finaliter tamen

praefatus Ioannes sic distinguit: aut illa ambasiata fuit procurata et tunc non debet sibi emendari, sicut nec procuratori . . . si vero ambasiata non fuerat procurata, et tunc aut portabat res non necessarias ad ambasiatam, ut puta propter pompam sui duxit plures equos, quam deberet, vel alias res, et tunc non debet sibi emendari. Si vero portabat res necessarias ad ambasiatam, debent sibi illa emendari . . .

Quaestio V.

Quinto quaero, quibus privilegiis gaudeant legati. Dicendum est, quod multis.

1. Non enim durante legatione possunt conveniri ratione contractus, nisi durante legatione contraxissent, ut in *l. 2 § legatis,* in *l. non alias, in princ. ff. de iudi.* In hiis autem, quae ante legationem contraxerunt, si super hiis Romae conveniantur, competit eis ius revocandi domum. Si tamen perfecta legatione Romae subsistant, ibidem conveniri poterunt, ut in dicta *l. 2, § omnes autem* et *§ sed.* Idem quod dixi de contractu intellige, si conveniatur etiam de quasi contractu, ut in *l. de eo, eo. tit.* Fallit tamen, ubi ageretur ex quasi contractu, qui non solo animo contrahitur, sed aliquo exteriori actu, utpote in actione negotiorum gestorum, tunc compellerentur legati iudicium suscipere, ut in *l. interdum § fin. ff. eo. tit.,* quem textum sic intelligit Bartolus in dicta *l. de eo autem.*

2. Ex quibus infertur, quod legatus non potest capi pro repraesaliis, quod procedit nedum in loco, ad quem destinatur legatus, sed nec alibi per loca, quae itinerando pertransit. Ita tenet Bartolus in dicto *§ legatis* et in tractatu repraesaliarum. Item neque reali actione conveniuntur durante legatione, ut in dicta *l. non alias, § finali.* Et hoc procedit, si ante legationem eam rem super qua conveniuntur possidebant, secus autem si legationis tempore possidere coeperint, ut in *l. si legationis, eod. tit.* Ratione etiam haereditatis per eum aditae etiam si durante legatione adivisset, non convenitur legatione durante, ut in dicta *l. de eo autem* . . . Ubicunque tamen in casibus praedictis legatus vellet agere contra alium, compellitur se adversus omnes defendere, ut in dicta *l. 2, § sed si agant,* nam tunc impeditur eius legatio ex conventione, quam facit, et ideo merito est sibi imputandum, quasi ipse velit se impedire, sed contrarium videtur in *Authentica, de sanctiss. episcop., § reverendissimis, colat. 9.* Sed illa Authentica loquitur in casu di-

verso, scilicet quando legatus agit causam tanquam procurator, nam tunc cogendus est subire tantum reconventionem illorum contra quos agit, secundum Innocentium et Ioannem Andream in *c. fi., de foro competente.* Sed praedicta limita, nisi ageret super iniuria sibi illata, aut furto vel damnis quae passus est, ut dicit ibi textus, in delictis tamen non subvenitur ipsis.

3. Nam et si legatione durante delinquant, coguntur iudicium suscipere, ut in dicta *l. non alias, § legati.* De delictis autem perpetratis ante legationem, non conveniuntur durante legatione, ut in *l. hos accusare, in princ. ff. de accusat.* Quod intellige ad hoc, ut in accusatione procedatur, sed bene proponitur solummodo accusatio, et interponitur per ipsum cautio, de iudicio sisti, finito legationis officio, *ff. de adulte., l. si adulterium cum incestu, § fin.*

4. Praeterea in re tempore peritura etiam iudicium suscipere coguntur . . .

5. Ex hoc autem infertur ad quaestionem, an legatis vel aliis qui habent ius revocandi domum detur haec declinatoria in causa beneficiali, et Innocentius in *cap. fi., de foro compe.* refert quosdam tenuisse, quod in causis electionum non detur hoc iuris beneficium. Ratio est, quia desiderant celeritatem . . . .

[6. Superiores duo ubi contraria mandant, illi qui inter eos superior est, obediendum est.]

7. Unum tamen est notandum, quod ubi aliquis petit ius revocandi domum, quia legat, vel alias si non impediatur in legatione propter illud quod ab eo petitur, tenetur respondere, ut, si petatur, quod respondeat interrogationibus, vel alteri causae, de qua se potest faciliter expedire, per *l. si legatarius, in princ. ff. ad Trebell.* Hoc tenent domini de Ro. *deci. 72* et *186* in antiquis.

8. Quod autem remedium detur creditoribus, si iste longo tempore est affuturus cum magno ipsorum dispendio, vide Innocentium in capitulo *dilecto, de verb. signif.* et per Bartolum in *l. ignorare C. de restit. militum* et ibi per Baldum.

9. Legato etiam prodest legatio. Nam durante excusatur a muneribus civilibus et honoribus, vt *C. de legatis, l. quarta, libro 10.* Et transmarina legatione perfuncti vacationem habent biennio . . .

10. Competit etiam legatis aliud maximum privilegium, non enim debent ab aliquo pulsari, et per consequens nec carcerari aut iniuriari, quam servitutem *[securitatem ?]* de iure gen-

tium habent, sancti enim habentur legati, immo si quis legatum pulsasset, Quintus Mucius dari eum hostibus, quorum erant legati, praecipiebat, et id utilius esse, quam si hostes non recepissent. Totum hoc probat textus in *l. finali ff. de legationibus.* Idem probat textus *ff. de re. divi., l. sanctum,* ubi dicit textus, quod dicuntur sancti, quia ab iniuria hominum sunt defensi atque muniti, et dictum a sanguinibus *[sagminibus?]*, sunt enim sanguinia *[sagmina?]* quaedam herbae, quas legati populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret, sicut, legati graecorum ferunt ea, quae vocantur cericia.

[11. Signa demonstrant aliquem esse talem.]

[12. Legati excommunicati, si ad papam veniunt, ab eo quamdin in curia manent, absolvi consueti sunt.]

13. Et considerandum circa praedicta, quod tempus legationis ad privilegia praefata prodest, ex quo legatus est, non autem ex eo tantum, quo Romam venit, in *l. legato ff. de legationibus.* Ad quod etiam facit *l. tempus ff. de vaca. munc.,* ubi non datur istud tempus nimis strictum, sed cum quodam laxamento itineris, in quo etiam annumeratur nedum tempus, quo vadit legatus, et est in legatione, verum et tempus, quo redit ab ipsa, imputaretur tamen sibi si plus iusto temporis consumpserit, vel in itinere, vel in alio loco commoratus . . .

14. Ex his autem potest inferri, quod si legato assignatur certum salarium per singulos dies distributum, quod debet illud habere iuxta moderationem praedictam . . .

15. Praeterea advertendum est, quod proprie legatus dicitur, qui a civitate vel provincia ad alium mittitur, ut per totum titulum *de legationibus.* Item legatus ecclesiae ad papam: in *Authentica de sancti. episcop., § si vero episcopi.* Item qui mittitur a principe vel a papa, *ff. de offi. assess., l. diem functo.*

16. Qui autem per privatos, licet nobiles mittuntur, non dicuntur legati, sed potius nuntii vel missi. De hoc est glossa notabilis in rubrica *C. de legationibus, lib. 10.* Privilegiis autem legatorum non gaudent, qui data opera legationem procurabunt, ut in *l. et qui data opera ff. ex qui. cau. maio.* Facit textus in *§ Item tria onera, Instit., de excu. tutor.*

17. Nec vere dicitur reipublicae causa abesse qui sui privati negocii causa in legatione est, ut in *l. non vere, eod. tit.* Sed quid si partim ob rem publicam puta ut fidelitatem iuret, partim pro se, ut feudum acquirat, vel reconcilietur principi abest. Glossa ibi dicit debere iudicari secundum quod princi-

palius intendebat, et in hoc gravant multi beneficiati conscientiam suam, quia veniunt principaliter ad Curiam Romanam pro negociis propriis occasione aliquorum negociorum secundario susceptorum pro ecclesiis suis, volunt percipere fructus beneficiorum suorum in absentia, ac si principaliter pro negociis ecclesiarum se absentassent . . .

Pars III. [foll. 281 - 282.]

Quaestio I.

Novissime autem superest de tertia parte principali tractare, s. de nunciis, quam divido in duas partes; in prima tractabo de nunciis ad negotia, in 2 de nunciis ad iudicia.

1. Circa primum dicendum, quod interdum nuncii deputantur ad literas deferendas et vocantur in vulgari Cursores sive cavalerii, qui habent hoc officium, alii autem non habent hoc officium, sed ut serviant patronis suis vel amicis hoc onus subeunt, et isti in primis hoc servare debent, quod illi tantum assignent litteras, ad quem diriguntur.

2. Sed pone, quod non consignant sibi, in quod crimen incidunt. Quidam dicunt, quod incidunt in crimen stelionatus. Bartolus in *l. Titio ff. ad munic.* dicit, quod si talis cursor illas manifestavit alteri incidit in crimen falsi . . .

[3-18. Nuncius literas aperiens vel perdens etc. quomodo teneatur etc.]

19. Ex praedictis colliguntur aliquae differentiae inter nuncium et procuratorem. Et inter caeteras est illa, quod in actu gerendo procurator concipit verba in personam suam, nominando dominum, non sic autem in nuncio, qui concipit verba in personam domini, et est ut picca et organum, loquitur enim per se, sed non a se . . .

[20. Ex quibus cognoscitur nuncius.]

[21. Ex quibus cognoscitur procurator.]

[22. Si constitutio per verba communia facta est, et ut nuncius et ut procurator agere poterit.]

[23—25. Stipulatio per nuncium fieri non potest.]

26. Nec obstat, si dicas, quod per literas credentiae, quae sunt generales, constituitur nuncius, ut inferius dicetur, ille tamen non habet specificam formam, nam dicendum, quod immo habent, attento, quod verba sunt commissa nuncio, et specialiter espressa ea, quae facturus est, prout literae credentiae indicant.

27. Secundo limitarem, si verba expressa in gestione actus non repugnarent . . . .

28. Subsequenter quaero circa eandem materiam, quid importent istae literae credentiae, quae sepissime nunciis vel oratoribus dantur. Ad quod est dicendum secundum Bartolum in *l. Lucius ff. de fideiussor.*, quod quandoque sunt multum generales, ut tali latori praesentium dabitis plenam fidem in hiis, quae ex parte mea vobis dixerit, et tunc rigore earum nil poterit agere in praeiudicium scribentis huiusmodi nuncius, quoniam istae literae magis sunt commendatitiae, quasi dicat iste lator est fidelis persona, potestis de ipso confidere, *C. quod cum co. l. fin.; ff. de dolo, l. eleganter § fi.; ff. manda., l. si vero non remunerandi, § cum quidam.*

29. Fallit si ex qualitate personae scribentis aliud appareat, ut si ille de quo scribebat erat factor vel institor suus in aliqua illius mercantiae . . .

30. Et ex hoc ego dicerem, quod si mediante nuncio dedi literas credentiae, videor dedisse circa illam materiam, quam eo mediante ceperam cum illo contractare.

31. Ad quod etiam facit ultra praedicta, quoniam ratione locis vel temporis aliud et aliud in rebus tacitis praesumitur . . . quandoque istae literae sunt magis speciales, utpote tali latori praesentium de intentione nostra plenarie informato dabitis plenam fidem, vel super tali negotio dabitis plenam fidem, et in hoc adverte, quia mandatur tantum, ut ei credatur in eo, quod refert, non autem mandatur, ut cum eo aliquis contractus celebretur . . . Si ergo cum tali celebretur aliquis contractus, non obligat mandantem, quia excessit fines mandati, ut *ff. manda., l. diligenter.* Fallit ratione personae, ut si esset institor, ut praedictum est.

32. Fatendum tamen est, quod si sum passus aliquod damnum ratione illius credulitatis, possum agere ad rationem illius damni per actionem mandati . . .

33. Quod ego intelligerem quando credulitas mea esset probabilis . . . alias autem imputandum est ei, qui fatue et leviter credit . . .

34. Sed an tali latori sit credendum sine iuramento. Et videtur quod non per *l. Teopompus ff. de dote praelegata ;* sed contrarium tenet Bartolus in dicta *l. Lucius* . . .

35. Et notandum iuxta praemissa, quod propter hanc fidem, quae isti data est super credentia, ipse debet secreto

servare rem sibi commissam, dummodo sibi secreto sit iniuncta . . . Ita tenet Baldus in usibus feudorum, *quibus modis feud. amitt., in princ.;* immo si inter federatos ad pacem violatio talis secreti interveniret, revelantes secretum viderentur violare pacem et pace carere debent . . .

36. Et si antiani alicuius civitatis iuraverunt tenere aliquam credentiam et eam revelant in damnum civitatis, debent ab officio removeri. Sic no. Baldus in tit. *de pace Const.,* in versiculo *credentia*, in *usibus feudorum*; immo qui hostibus revelavit principis secreta, poena mortis punitur . . .

[37. Nuncius rem ferens alicui, si dolo et culpa sua eam perdat, cuius periculo perdat.]

[38. Nuncio sine literis an et quando credatur.]

[39. Nuncio sine signo an et quando credatur.]

[40. Bidellus tradens librum portanti signum scolaris an excusetur, si nuncius infideliter egerit.]

[41. Nuncii casus fortuitus mittenti nocet.]

[42. Nuncium mittens, qui impeditus fuit, an evadat excommunicationem inflictam, si in diem statutam res aliqua soluta non est.]

Pars IV. [fol 282 r° et v°.]

Ultimo loco agendum est de nunciis deputatis ad iudicia. [Quaestiones I—V.]

[Tractatus Universi Iuris, Venetiis 1584, in-f°, tom. XIII, pars II, foll. 258—282".]

Hermolaus Barbarus.

De officio Legati.

[Bibl. Vaticana, Ms. Vat. Lat. 5392, foll. 50—52 v°.]

Hermolai Barbari
De officio Legati.

Legati munus est mandata Reipublicae suae vel Principis obire diligenter et ex usu ejus a quo Legati nomen habuit. Huius officii praecepta quamquam tradi possunt, plus tamen nescio quid in hominis prudentia situm est, quam quod mandari scripto queat. Multa dabit occasio consilia, multa etiam temeritas, quae omnia comprehendi nullo modo possunt.

Legati autem aut ad internunciandum aut ad pacem cum hoste componendam aut ad foedus societatemque jugendam aut conservandam mittuntur. Caussae sunt et aliae: sed illustriores et magis insignes hae sunt. Porro, quia et belli denunciandi ratio, ac concedendae pacis opus, et ineundae societatis, raro non intra paucos dies absolvitur, de uno tantum genere Legati dicemus, qui tuendae societatis aut benevolentiae gratia ultro citroque mittuntur, brevissima unius manus Syngrapha, uti curent eum ad quem legati sunt quam studiosissimum et amicissimum civibus suis, aut principibus efficere continereque. Non habet praefinitum aliquod tempus hujusmodi legatio; sed apud Nos anno fere concluditur, petentibus legatis, et interim valetudinem, et interim familiarem rem suam quaerentibus, quibusdam pudorem, ne amare videantur quod fastidiunt. Pater Romae plus anno egit, Neapoli biennio, non quia nollet redire, sed quia successorem haud impetrare posset, quod apud eos Principes auctoritate et gratia valere dicebatur. Sed ad praecepta veniamus.

Finis Legato idem est, qui et ceteris ad Rempublicam accedentibus: ut ea faciant, dicant, consulant et cogitent quae ad optimum suae civitatis statum et retinendum et amplificandum pertinere posse judicent. Hoc si spectaverit legatus et si huc totum se convertit, haud temere umquam habetur.

Hoc amplius spectare debent Legati, ut mandata ediscant et exequantur: numquam committant, ut se prudentiores judicent. Incidunt quidem caussae nonnumquam, ut mollienda quaedam et quasi repolienda sint mandatorum genera, quoties vel aliquid fortuito supervenit, quod Senatus Decreti sui tempore nesciverit. In quo tamen multiplex adhibenda prudentia est: quid enim, si tale sit, ut nescire Respublica voluerit, aut scire dissimulaverit, aut nihilominus etiam si scisset, constitutum idem fuisset! Mediolani agebam Legatus; jubet Senatus denunciem Principibus, ut arma ponant, quae in Forolivensem agrum movissent. In ipso temporis articulo nuncius victoriae, et quod facta essent omnia supervenit. Consilium e re coepi; gratulatus sum; venisse me ad eos finxi, rogaturum, ut providerent, ac prospicerent tran-
fol. 50 v°. quillitati Italiae; utque non armis ‖ bellum, sed jure decerni paterentur. Tantum mutare sensum nolui, verba coactus sum novae rei superventu. Laudatus sum a Patribus. Mediolanensem quoque Principem, qui quamquam haud sciret, quid efferrem, conjectura tamen ceperat, cur venissem, admiratum scio, quod rebus jam compositis, omnino tale aliquid retulissem, tum conversum ad suos dixisse, aliud esse Reipublicae aliud Tyranni Legatum agere; quod et verum est. Legatus, nisi affectus omnes et opiniones de Republica statim discessus urbe posuerit, exsuerit, induxerit, nec sibi nec Reipublicae suae consulet. Extrema dementia et propius sceleri, quam dementiae peccatum non dico praeterire, aut in contrarium ire, sed aut malignius negligentius obire mandata Curiae: quia ipsi aliter aut urbe proficiscentes sentiremus aut modo sentiamus. Numquam satis dictum est, quod aliqua praeceptione opus est Legatus; nisi se multo inferiorem et judicio et usu rerum, quam Patres existimet, protinus Legati fine decidit. Solet hoc plerumque rationibus publicis officere, sed privatis antevertere, praesertim in nostra Civitate, ubi nihil severius expenditur, quam aut factum, aut dictum Legati; nulla parte delinquitur odiosius: commisereri solet in magistratibus et urbanis et peregrinis quandoque, in Legato numquam.

Curare debent Legati, ut gratia et auctoritate valeant apud eos ad quos mittuntur. Id autem omnes quidem virtutis sed

praecipue bonitatis et integritatis opinione consequentur et, ut pater meus, de officio Legati disserens, diligenter expressit, liberae cujusdam et ingeniosae simplicitatis; nam servilis et rustica non auctoritatem sed contemptum efficit. Ingenium quoque negotiorum et callidum sollicitudinis et ostentationis plus habet, quam utilitatis: et vitatur ab omnibus fraus publica, qua nihil adversius his, qui ad gratiam et benevolentiam conciliandam profecti sunt. Nonnulli propter nimiam calliditatis et astutiae famam Legationes suas numquam non infeliciter concluserunt, contra alii mediocri ingenio viri numquam non feliciter.

Legatum esse Te non exploratorem memineris; alioquin nescire quid agatur facilius est iis qui negligere videntur, quam qui dissimulare curam talem haud possunt. Lustrare debent omnia, non furtim, non latrunculorum more, sed interim simpliciter et aperte, interim per gradus et quodam quasi sensu, nec strepitu, sed silentio. Multa sunt quae non continenter, sed membratim et vellicatim | interrogare oporteat; quaedam ita, ut aut fol. 51.
negligenter, aut invitus audire videaris. Interpellabat et interrumpebat aliquando Zacharias pater etiam narrantem quae scire cupiebat, ne solicitudinem suam detegeret et ut major fides sibi haberetur, si ultro sciscitari vellet.

Quidam ut industrios et satis agentes se civibus suis ostentent, non modo scrupulatim quid geratur perminima quaeque perscribunt, sed quo nihil scelestius, confingunt aliqua atque commiscuntur, aut quae non fecerint fecisse, aut quae non responderint respondisse, praedicando multo saepius quod fecerint aut responderint tacendo. Haec semper vanitas est plerumque perfidia utique si ex hujusmodi mendacio aliquid incommodi Respublica patiatur. Adde, quod damnosa Reipublicae mendacia raro umquam occludi diu possint; cum primum laesam se senserit, reclamat offensa civitas; auctor deposcitur; inquinentur, circumspiciuntur, miscentur omnia, donec veritas elucescat: tum paenitentia mendacii oritur, tum tanta mentis aestuatio, ut si nihil habeat praeter se quod accuset, unicum videatur perfugium, ut mendacia mendaciis operire tentet atque ita funditus etiam majori jactura pereat.

Multum placet Principibus et Populis in Legato dexteritas et cum dexteritate juncta gravitas, et cum gravitate lenitas et humanitas, praesertim in Veneto: qui, sive quod separatis legibus utuntur, victu quoque atque vestitu, sive quod severius insontes animadvertunt, sive quod gentis antiquitate, libertatis et imperii

diuturnitate gloriantur, ab inimicis et invidis superbi, a reverentioribus taetrici cognominantur. Proinde summo studio adniti decet, ut nostri nominis invidiam non disputatione, aut sermone tantum, sed opere atque facto coarguamus: ita tamen, ut publicae dignitatis numquam obliti esse videamur. Nec solo, nec admodum damno Senatoris cujusdam nostri dictum, notent, inquit, in Veneto superbiam, modo (ut ait Flaccus) meritis partam: fatentur superbum non esse Venetum, sed si foret, multa tamen esse, quamobrem fieri posset: immensas opes, innumerabilia et belli et pacis decora, Imperium terra et mari praepotens, ut uni tantum Romano cedat, diuturnum, ut nulli. Expende aliarum civitatum mores, finge, haec in illis esse, quae in nobis sunt. Quid, obsecro, aut illi facerent aut quid nos facimus, quod illi non facerent? Sed haec alterius loci sunt.

Brevissima esse debet cum Principibus oratio: occupati
fol. 51 v°. enim sunt et sibi parci gaudent, et boni Legati magni faciunt. ‖ Rarus quoque aditus ad eos laudari solet: fere quod et privatam existimationem et publicam dignitatem conservat. Faciles se omnibus praebere Legati debent, populares esse et vulgares ultro sese cum omnibus atque semper non debent. Hic mos Veneto peculiaris est, et maxime apud omnes commendatur; numquam, nisi aut rogatus aut missus in Regiam proficiscitur, ceteris propemodum assiduis: quod quidem eos et principi molestos reddit.

Ante omnia cavere debet Legatus, ne pro se neu pro aliquo, aut de aliqua re cum Principe umquam loquatur, nisi Patres mandaverint. Magnam personam Legati sustinent adeo, ut cum in controversiam inciderit Respublica de familiaribus, per advocatos non per Legatos, sua jura defendi velit; tantum abest, ut apud principem intercedere Legato liceat. Philippus, Mediolanensium cum Legatorum preces nec respuere auderet, nec admittere saepenumero fas esset, aedicto sanxit, ut, quaecumque Legatorum interventu quilibet impetravisset, anno tantum valeret, abolita et irrita post tempus illud essent. Ticini agebam Legatus. Confluebat ad me fere omnis litteratorum ordo, ut ad novos assolet, non tam honorandi credo, quam explorandi gratia, qualis essem. Frequentabat aedes meas et Ludovicus Princeps. Percrebuit fama, bono me apud eum loco esse. Tum qui ad praelectiones subscripti erant et qui jam praelegebant, commendari per me Principi volebant. Negavi privatum commendatorem esse quemquam, excusavi leges mandati, quibus, indicta gravi

multa, omne patrocinii genus legatis interdicitur. Pollicitus sum tamen in communi laudaturum me litteratos omnes Principi: quod et feci. Ita Princeps, laudari a me suos audiens, probavit candorem, et cum nemini beneficium rogassem, modestiam. Laus haec Veneto propria tribuitur obaeratum esse nolle Principi, nihil ab eo petere, cum eo numquam nisi de Republica diserere. Nullius apud Te aut auctoritas vel preces, vel amicitia tantum possit, propter quem ab instituti hujus tenore decedendum putes. Testimonium castitatis et innocentiae nostrae Principes ipsi reddant. Quis bono ausit convellere?

Plerumque Principes de successoribus et decessoribus interrogant: et multae possunt esse causae, quamobrem interrogent: numquam committendum est, non dico ut cupide, sed oratione suspiciosa locuti esse videamur; numquam decet, numquam tempus est, ut quis de cive inter alienos male respondeat. Finge illum de quo nunc quis Te interrogat, interrogatum de Te prius fuisse; non ne ille ingratus vir, si honorifice loquaris de quo prius ipse male praedicasset? aut tu si ille? Et hercule successores decessoribus et contra his illis detrahunt invicemque carpunt mores et acta damnant. Magnus et erectus ille fuerit, qui communem et promiscuam labem vitare poterit. Deum testor, de nulla re prius percunctari me coeperunt, qui obviam mihi Mediolanum eunti prodiere, quam de vita et moribus et existimatione Decessoris; nec male sentiebant illi de homine; sed qualis et quam prudens essem ipse periculum faciebant, verum illis ex sententia non cessit. Ita enim respondi, ut eos suae sciscitationis et curiositatis poeniteret: eos vero, qui me ad cavillandum et relaxandum invitabant, non solum non refregeravi hoc meo pudore, sed etiam retudi penitus atque fregi. Numquam tantum sit aut bonae conscientiae, aut simultatis in quoquam, ut successorem aut decessorem parum amicum nominet ubique et inter non suos, nolo; si flagitiosus, si inimicus, infensusque Reipublicae, volo parcas; da hos patriae, non homini: plus hoc Veneto Venetus debet, quam ceteri. Cum haec dignitas Imperii non alia tamen ratione coaluerit, creverit, duraverit, quam civium in se concordia, hanc qui odit non eos odit, quos odit, sed ipsam plane Rempublicam odit.

Legatorum quoque crimina vel lege vel extraordinarie vindicentur: non dico, si quaestum aliquem exerceant; nam et hoc lege prohibetur, non quasi crimen, sed quasi et dignitati et utilitati publicae contrarium; illud dico, si adulterium, si vim,

si stuprum attulerint. Et hercle par est, ut qui Reipublicae caussa absunt, quemadmodum si honores petunt, ita si flagitiose vivant, abesse non dicantur. Confundit judicia sua vulgus et ex unius aut bene aut male facto metitur omnes: nullo discrimine, aut respectu, non unius qui peccat, sed totius gentis vitium esse praedicans. Et contra praesumptionem hanc severitate nova Respublica opus est, non ut saeviat, sed ut existimationem asserat, nec ut illum vel illum puniat, sed ut se redimat infamia. Jam qui tantum et voluptati et cupiditatibus suis indulsit, ut civitati maculam intulerit, postulare haud debet, ut sibi parcat
fol. 52 v°. Respublica, ' qui Reipublicae nequaquam pepercit. Ergo Legatorum et magistratuum abstinentes esse debent et manus et oculi perinde quam sacerdotum quoties ad aram stant et in Divinis operantur. Meminerint nulla re tam de Republica benemereri posse de se plus quam sanctitate morum et innocentia. Quamquam usque adeo perversi quidam sunt et praepostere sibi consulunt, ut, quia procul absunt ab auribus, et oculis popularibus semoti sunt, praedam morum faciant, obscena cogitatione, ambire legationes et prouincias, ut occasionem impune delinquendi, hoc est sine testibus et arbitrio inveniant, luxuriosius et licentius vivant, cibo potuque mergantur, exoletas et concubinas (post scelus, post menstrum, inusitato poenarum genere luendum) circumferant. Vnde tritum illud nec uni notum Italiae Proverbium «Numquam sine labe continentiae legatorum» et comites et familiae respondent. Magnus eorum numerus est, qui ad legatum eo ipso die, quo remuneratus est, quasi nomina daturi, confluunt. Legendi sunt qui mansuetudine, modestia probitate ceteris anteire videantur. Honesta quidem specie, sed virili et ab omni suspicione remotissima omnino, ut formam viri quam mores accusare posse malis. Delicta familiae, quamquam nulla debeant, duo tamen ejusmodi sunt ad quae se Legati conniveant; plus ipsi peccant, quam qui delinquerunt, contumelia et imprudentia, sive domi sive foris. Alterum discordiae, alterum insaniae seminarium est.

In Legati domo pax sit, aliter Legatus ab omnibus contemnitur et ludibrio habetur, praecipue vero suis, quia prope nihil est tam inimicum bonis moribus, quam otium et desidium. Optandum est, atque adeo summopere quaerendum, ut alicuius omnes artis studio, voluptate ducantur, vel pingendi vel scribendi vel canendi, calculis etiam ludendi.

Joannes Bertachinus.

Repertorium, v° Ambasiator.

[Editiones plurimae: S. l. et a.; Romae, per Georgium Laur, 1481; Norib. 1483; Mediol. 1485 sq.; Venet. 1488; Venet. 1494; Mediol. 1499; Venet. 1500 (Hain, 2980—87) et aliae multae saec. XVI.]

Ambasiator non potest contrahere nomine superioris sui vigore literarum credentiae: Bartolus in *l. Lucius,* circa medium, ver. *et hic adverte, ff. de fideiuss.*

Ambasiatoribus creatis ad Imperatorem, qui fecerunt sumptus causa proficiscendi, nam si poenitet commune, debet eos servare illaesos: Baldus in *l. si pecuniam,* in lectura antiqua, ibi not. Aretinus, *de cond. ob cau.*

Ambasiatoris iuramento creditur de morte equi in itinere cum scriptura faciente fidem de eius morte ....

Ambasiator cogitur ex causa litigare, inquantum necessitas exigit: *l. sed et si restituatur, § sed si dies, ff. de iudi.,* et ibi Bartolus.

Ambasiator non potest conveniri in loco legationis pro debitis ante contractis: *l. II, § legatis,* et ibi doct., *de iudi.* nec pro professione ante adepta, sed pro adepta tempore legationis, sicut *l. non alias, § 1,* et ibi Bartolus, *ff. de iudi.*

Ambasiatores possunt reconveniri in loco, ubi conveniunt alios, non alias: glossa, Oldradus, Dynus et doct. in *l. Paulus, la II ff. de legation.;* in *l. tutor, § fi. ff. de iureiur.,* not. in dicta *l. II, § legatis, de iud.,* et in *c. cum inter., de exceptionibus.*

Ambasiator cogitur coram arbitro litigare in casibus, in quibus cogeretur coram iudice: *l. non distinguemus, § item si quis,* et ibi Bartolus, *ff. de arbi.*

Ambasiator qui accepit salarium pro uno mense et reversus est ante mensem, debet restituere salarium pro rata temporis....

Ambasiator debet vacare solum circa expeditionem ambasiatae, non circa alia: *l. Paulus,* et ibi Bartolus, *ff. de legationibus.* Sed hodie non servatur.

Ambasiator potest substituere filium vel consanguineum suum in officio legationis: *l. sciendum, § legatus, ff. de legation.;* Ludov. Pontanus *in l. 1, V col., ff. de in ius voc.* Argum. contra: in *l. inter artifices, de solu.*

Ambasiator non gaudet privilegio post tempus remeationis: *l. fin.,* per Baldum, *de commerc. et merc., in fine.*

Ambasiatores debent eligi, qui sunt benevoli, et accepti illi, ad quem mittuntur; nam si displiceant, redibunt sine effectu. Argumentum in *c. in gravibus, III, quaestio VII.* Ita dixit Abbas super rubrica *de vita et hone.,* Clem., in I col., ver. *et not. illum tex.*

Ambasiator ad pacem componendam, vel administrator simpliciter datus, licet non habeat expressum mandatum ad poenam apponendam, nihilominus poterit poenam apponere et obligare constituentes pro observatione eius, quod gerit. Pro quo facit textus in *l. bene a Zenone C. de quadri. praescr.* Item facit quod rector ecclesiae potest contractum initum nomine ecclesiae, si sit rationabilis talis contractus, fulciri poenae appositione. Pro quo facit *c. dilecti, in fine, de arbi.* nam quando a iure datur specifice potestas praelatis rationabiliter contrahere in utilitatem ecclesiae, nihilominus possunt poenam apponere et obligare se et successores suos. facit quod not. in *c. nulli., de reb. eccles. non alie.,* ubi rector sine consensu superioris potest generaliter, licet non specialiter, bona ecclesiae sic obligare. notat hoc Abbas in *c. II, de praeca.*

Ambasiator si ducat certas equitaturas, debet ducere unum famulum pedestrem inter duos equitantes: not. in *c. singulis, de sta. mona.,* et ibi Abbas, in *I colum., in II nota.*

An it quod donatum est ambasiatoribus, cedat eorum lucro, an vero mittentium . . . concors opinio tenet, quod in casu dubii est advertenda qualitas donorum. Nam quaedam presumptive magis conveniunt mittenti quam missis, ut puta, si donatur unus leo. Quaedam conveniunt potius ipsis ambasiatoribus . . . ut si donentur eis vestes congruentes . . . vide Domi. post Jo. Andream in *c. a collatione, de appel., l. VI* et ibi Petrus de Ancharano.

Ambasiatores si infirmantur in itinere, quousque redeant, debent sibi ministrari expensae . . . .

Ambasiator qui reversus est hora tertiarum, debet habere salarium pro die integra . . . .

Ambasiatores debent portare literas, per quas appareat, ut de mandato et licentia civitatis vadant. Ita dixit Bartolus in *l. si quis decurio C. de decu. l. X.* Idem voluit Bartolus in *l. quoties C. de legation., eod. libro.*

Ambasiator si decedit in itinere, salarium pro rata temporis, quo non servivit, debet restitui per haeredes Reipublicae et si unus ex ambasiatoribus in itinere decedat, alter solus potest explere officium ambasiatae, et id quod faciet, tenebit, et erit ratum, acsi esset factum per ambos. Ita dixit Angelus in *l. 1 C. de leg., lib. X.*

Ambasiator finita ambasiata si differt recedere, non gaudet beneficio, seu privilegio ambasiatoris. Ita dixit Bartolus et Salicetus per illum textum in *l. mercatores, C. de commer. et mercat.*

Ambasiatores, seu legati, non possunt ratione repressaliarum capi, non solum in terra, ad quam destinantur, sed etiam in terra per quam transeunt: ut in *l. consensisse, § legatis, ff. de iudi.* nec etiam adventu ambasiate: ut in *l. utimur, ff. de sep. viol.* not. Bartolus in dicto *§ omnes.* Hoc eodem privilegio gaudent fratres familiares, et ambasiatores qui vadunt, et veniunt ad eum, et etiam nuncii, qui sibi necessario destinantur: ut not. Bartolus in dicto *§ legatis.* Et vide Baldum in *l. hi qui, § tamdiu* . . . [et Bartolus ibi].

Ambasiatores debent esse viri magnae authoritatis et exponendi sunt casus, seu debent dari casus, qui sunt exponendi illis, quibus destinantur. Ita concludit Dom. de sancto Gemin. post alios *in c. ad apostolicae, in I col., in ver. no. qualiter debent destinari., de re iudi. lib. VI.*

Ambasiatores, si procuraverunt sibi ambasiatam et aliquis fortuitus casus ei advenerit, puta, quia in itinere fuit disrobatus. quod communitas non tenetur sibi reficere damna, ex quo procuravit ambasiatam, imputatur eis, secus si motu proprio mittentium missi fuerint. Ita concludit Bart. *in l. inter causas § non omuia ff. manda.*

. . . . . .

Ambasiatores ad hoc, ut habeant maius salarium, et maiori tempore stent in ambasiata, vadunt per viam transversalem et non rectam, dic, quod eo casu possunt consequi salarium pro illo tempore pro quo consequerentur, si fecissent viam rectam. Istud dixit Bartolus per illum textum in *l. qui fiscales, C. de navi., lib. XI* et in l. penultima *ff. de itinere actuque privato*

. . . . . .

Ambasiatores habent securitatem. Ita dixit Bartolus in *l. conventionum,* in fine *ff. de pact.* et vide ibi glossam super ver. *Publica.* faciat quod voluit Bartolus in *l. I ff. ad leg. Jul. maiest.* et facit bonus textus *l. fin. ff. de leg.* et in *l. sanctum, ff. de rerum divis.*

Ambasiatores si erant duo pro sua civitate, et unus infirmatur, alius expectat eum in itinere, utrum expectans dicitur abesse causa Reipublicae tempore, quo expectat, ut sic habeat salarium tempore, quo expectavit. Baldus in *l. cui, § tam diu.* alias *§ 1 ff. ex quibus causis ma.* concludit, quod aut erat necessaria sua praesentia, et videtur abesse . . . Aut non erat necessaria sua praesentia, et non videtur abesse . . . . .

Ambasiator ad cautelam absolvitur a sententia excomunicationis, in quam reincidit officio finito. Ita concludit Joannes de Anania in rubrica *de cler. excom. min.,* in V colum., in ver. *septimo, quia neuter,* ibi, et eodem modo ambasiatores donec sunt in curia.

Ambasiatores potius duo quam unus destinandi sunt in favore publico, cum duo sint minus suspecti, secundum Angelum, *sing. in l. si vacantia, II char. C. de bonis vac. lib. X.*

Ambasiator Imperatoris, habens mandatum ad referendum gratias communitati de beneficiis Imperatori impensis, non potest ei concedere exceptionem. Alex. in *l. ex his C. de test. mil.* contra Angelus in *l. Paulus, § Paulus, de fideicom. lib.*

Ambasiator debet pergere per viam rectam: Bartolus in *l. non solum,* in princ., *ff. de excu. tuto.* Adverte, quia non loquitur in ambasiatore, sed in nuncio seu correrio.

Ambasiatori nihil debet imputari, nisi modum excedat: *c. novit* et ibi Baldus, *de appell.*

Ambasiatori non creditur sine literis credentiae: Bartolus in *l. palatinos, C. de col. fun. fis.,* lib. XI. Secus in legato papae: Cardinalis, *97 dist., nobilissimus.*

Ambasiator restituitur in integrum. Bartolus in *l. Respublica,* paulo post principium, *C. ex qui. cau. ma.,* per *l. legatis, ff. eod. tit.* Quod intellige, scilicet ex causa absentiae, quia abfuit causa Reipublicae, si ad populum Romanum fuerit ambasiator, secus si ad alium dominum vel populum, quia tunc restituitur in integrum ex clausula generali . . . .

Ambasiator retardans redditum suum, finita ambasiata non gaudet privilegiis; Bartolus in *l. fin. C. de commerc. et mer.* Adde quod nec gaudet post tempus remeationis secundum Bal-

dum, ibidem, ut supra *eod. vers. X.* Addo tamen facere id, quod voluit Innocentius, in *c. licet,* circa medium, *de foro compet.*

Ambasiator sua negotia expediens simul cum negotio publico, non debet habere sumptus pro tempore, quo plus retardaverit pro negotio suo. Glossa est in *cap. cum pro causa,* in versi. *cum propter hoc, de procur.*

Ambasiator an dicatur nuncius vel procurator? Jacobus Butrigarius et Joannes de Prato in *l. 1, in fine, ff. de proc.,* et Bartolus in *l. Lucius, ff. de fideiuss.* voluit allegere Bart. in ver. *sed pone;* sed nihil in proposito, ut ibi clarius considerari potest.

Ambasiator an cogi potest ad suscipiendum munus legationis et oportet habere literas mandati, seu credentiae: *l. si quis la I* et ibi Bartolus, *C. de decu., lib. X* et in *l. fin. C. de leg., lib. X* et *l. palatinos, C. de col. fun. fis., lib. XI* et Baldus in *l. si qua per calumniam,* in II col. magna, in fine, in ver. *deinde quaero, C. de episc. et cle.*

Ambasiator non debet habere salarium socii sui defuncti, licet ipse solus expediverit negotia, sed unicum tantum, id est pro parte sua: Bartolus in *l. 1 C. de leg., lib. XI,* per Alexandrum in *l. legatus, ff. de legationibus.*

Ambasiator data opera constitutus non debet immunitatibus gaudere: *l. universi* et ibi Bartolus sin. in I lec. *C. de leg., lib. X.* Item nec si sit salariatus . . .

Ambasiatores a prioribus civitatis mitti non possunt sine authoritate consilii: Bartolus in *l. quoties, C. de leg., lib. X.*

Ambasiatores in itinere derobati an recuperent ab eo, qui misit. Vide consilium collegii Paduani et incipit, *Factum tale per dominos priores* etc. . . . *l. inter causas, § non omnia* et ibi Bartolus *ff. man.,* ubi refert, aliquos velle, quod sic de curialitate, non de rigore iuris . . . .

Ambasiatores Romanorum Genthyus rex Illyricorum carceravit, sed propterea ab Anitio Romanorum praetore, captis prius navibus in mari, terrestri bello superatus, regno pulsus fuit, et Romam ductus ad senatum cum filiis in triumpho Anitii habitus est, ut refert Appianus Alexandrinus in VI lib. II charta, ubi etiam subdit, Paulum Aemilium una hora septuaginta urbes depraedesse miro quodum actu, ut ibi.

Ambasiator habens mandatum ad componendum pacem, potest in capitulis vel contractu pacis addere etiam poenam et alia consueta in tali contractu apponere: Alexander in *l. solutum, § si, ff. de pign. act.* et Abbas in *c. IV de precar.*

Ambasiator potest per literas vel per nuncium referre ambasiatam: Baldus per illum textum in *l. adversus, § is autem, ff. si man. fal. mo di.,* ubi tamen dicit Baldus, quod non credit esse verum.

Ambasiator expendens de suo, reperit ab eo, a quo mittitur: *l. item eorum, § actor,* et ibi Baldus in *fine ff. quod cuius. uni. nomi.*

Ambasiatori infirmo debetur salarium etiam pro tempore, quo stetit infirmus . . . .

Ambasiator salariatus ob aliud officium, ut quia erat doctor habens annuum salarium, debet habere utrumque salarium, etiam pro tempore absentiae, ex quo fuit absens causa Reipublicae: Bartolus in *l. Julianus, § fin. ff. ex qui. cau. matrim.*

Ambasiatores inimicorum non possunt offendi: *l. si, ff. de legat.;* Bartolus in l. 1, in princ., ver. *circa hanc legem quaero, ff. ad l. Jul. maiest.,* et in *l. conventionum,* in fine, *ff. de pac.,* ubi dicit not. quod ambasiatores habent securitatem.

Ambasiator ad locum, de quo est bannitus, non potest offendi, nec ibi retineri pro banno: Angelus in Auth., *de san. episc., § reverendissimi, col. IX.*

Ambasiatores Firmani missi ad Perusinos possunt cum mulis Perusinorum portare res suas Perusium secundum Bartolum in *l. his tantummodo, C. de cursu publico, lib. XII.*

Ambasiatores pro repressaliis capi non possunt: *l. si quis legatum,* per Bartolum, *ff. de legationibus,* et Alexander not. in *l. II, § legatis,* et ibi Bartolus in 1 not. *ff. de iud.* Item verum dic in suis sociis: Baldus in *l. administrantes, § eorum, ff. de. excu. tutel.,* ubi dicit verum de sociis legitime datis, non de supernumerariis. Item verum etiam in bonis eorum necessariis ad legationem, ut equi et vestes: Joannes de Lignano in tractatu *de repressaliis,* II parte, secundae principalis, 1 quaest., in fine. Item verum non solum in civitate, ad quam destinantur, sed etiam in civitate, per quam transeunt: Bartolus in dicto *§ legatis, de iud.* et vers. *legatus.* Vide Bartolum in *l. 1 ff. ad leg. Jul. maiest.,* et vide Baldum ad *l. quae a latronibus,* in fine, *de testam.*

[Prima pars Repertorii Do. Joannis Bertachini Firmani . . . Opera et labore Do. Joan. Thierry . . . Lugduni, 1552, in fol., foll. 56 v° — 57 v°. **P.**]

Tractatus saec. XVI et XVII

(usque ad annum 1625).

Nicolaus Boer[ius].

Tractatus de Potestate Legati a latere, in Gallia editus a Nicolao Boer.

[Dedicatio] Ad Rev... D. Georg. de Ambasia.... in regno Franciae et aliis provinciis eidem adiacentibus de latere Sedis Apostolicae Legatum, Nicolaus Boer, iuris utriusque Licentiatus de Monte Pesulano, ac Domini nostri Francorum Principis in suo maiori Sacro consistorio ordinarius. S. P. D.

[Litterae papae Hadriani ad Georgium de Ambasia anno 1501.]

[1. Deus in principio cuiusque rei invocandus.]

2. Et primo quis sit legatus. Et secundum Speculatorem, *titulo de legato, § primo* dici potest quicunque ab alio missus est, *capit. presbyterum, 50 distin.* et *c. satagen., 25. quaestio 1* et *l. prima et secunda* et *l. sciendum, § fin. ff. de leg.* sive a principe vel a papa ad alios mittatur, *ut in* Authen. *de san. episcop., § si vero episcopi, colat. 9.* sive ab aliqua civitate vel provincia ad principem vel alium, *ut C. de lega. per totum lib. 10 et ibi super rubr. plene* per Joan. de Pla. et Lucam de Penna et Speculatorem, *ubi supra,* et per Goffredum et Hostiensem *in Summa,* et Archidiaconum *in cap. primo 97 dist.* et cardin. Alexandrum *in cap. valde, § legatum, 94 distinctione,* et Alber. de Rosate in *l. legatis ff. ex quibus causis maior.* et doctores in *capit. primo, de appella.,* et glossa in *pragma.,* in *prohemio* in *§ 3, in verbo nuncios.*

3. Et tali legato obediendum est tanquam papae ...

4. Secundo est praemittendum qualiter et quibus formis constituatur, de quo per Speculatorem et Jo. Andream in additionibus ...

[5. Legatum generalem papa mittere non debet sine consilio collegii cardinalium.]

[6. Papa nihil arduum tentare debet, sine consensu cardinalium.]

[7. Acta per papam contra consilium cardinalium, an sint valida.]

[8. Legati literae specialem causam commissionis continere debent.]

9. Tertio, quot sunt genera legatorum. Et sunt tria ... videlicet laterales, nati et ratione personae constituti ...

[10. Legati constituti qui dicantur.]

[11. Legati nati qui sint.]

[12. Legati laterales qui sint ....]

[15. Quarto, quid ad eiusdem legati [sc. lateralis] pertineat officium] — [usque ad 27.]

28. Quinto est praesupponendum, quod primo inspicienda sunt privilegia legati [— usque ad num. 32].

33. Sexto et ultimo est praemittendum, quod legato in regno Franciae constituto de iure consueverunt specialiter committi Viennensis, Lugdunensis et Bisuntinensis provinciae, *c. novit, in fine* . . . .

[Sequntur quaestiones diversae de *potestate* legati de latere : num. 34 usque ad num. 134, qui est ultimus.]

76. Jo. de Anania in *cons. 93, col. 3.* vers. *praeterea* et ibi Ludov. Bologninus ubi Jo. de Anania etiam concludit, quod legatus de latere potest concedere represalias, et ibi vide, et Archidiaconus in *c. si eo tempore, de rescript., lib. 6* et Mart. de Laude in *d. tractatu de leg., prin., ver. 29* . . . .

[Tractatus Tractatuum, ed. Venetiis, MDLXXXIIII, t. XIII. p. II. ff. 142 v⁰ — 150 v⁰.]

Joannes Brunellus [Jean Bruneau].

Tractatus de dignitate et potestate Legati, necnon de primaria Cardinalium origine atque institutione, in quo obiter etiam de Materia beneficiali agitur, editus a Joanne Brunello, iurium doctore, ac in studio Aurelianensi Sacrorum Canonum interprete. Venalis est Aureliae apud Jacobum Hoys, cuius aere atque impendio nuper est impressus. 1519.

[In fine:] Absolutus est *Lutetiae Parisiorum* hic libellus in officina impressoria Petri Vidoue chalcographi, impendio et aere Jacobi Hoys *Aureliae* universitatis bibliopolae. Priedie Calandas Septembris.

[4° foll. (4) + C.]

[**B. N.** E. 1772; **Dr.** Hist. Pontif. 328.]

[Dedicatio] Reverendissimo patri Adriano ... cardinali, episcopo Constantinensi, Sanctissimi Domini nostri Papae in Francia legato.

Conclusio prima.

Scripsit Speculator tractatum de potestate legati, utpote cuius potestas paucis innotescit (ut ipse affirmat) ac super quo dubia infinita vidit suboriri, et peritos invicem saepe numero dissentire. Subiicit quoque in § secundo ad se non pertinere potestatem legati praefinire. Cum haec ex papae mittentis pendeat arbitrio. Ac proinde tanta est eius potestas, quanta in literis legationis sanctissimi papae continetur. Testatur autem Jo[annes] An[dreas] in additionibus ad eumdem Speculatorem, ipsum a nemine practico doctore adiutum. Cum nullus specialem de legato tractatum fecerit. Nisi quod idem Speculator in articulo procurationis legatorum multa desumpsit a Roffredo Beneventano, in reliquo habuit necesse recurrere ad summistas (quod aiunt). Parum autem profuit Speculatori (ut Joannes Andreas scribit) Azonis glo[ssa] in rub[rica] *de offic. proconsu.* Multum autem Speculatori contulerunt summistae. Et cum iidem summistae, qui Speculatorem praecesserunt in manus meas non inciderint; neque post Speculatorem visus sit aliquis qui de legato peculiarem tractatum in medium protulerit; et Speculator multa ad materiam parum pertinentia inserat, nostri quoque commentatores in titulis Decratalium, libri sexti et Clementinarum, nec funditus, nec pleno (quod aiunt) cornu, rem ipsam expediant, sed leviter transeant, inde in discursu praesentis

tractatus mihi difficultas maior ingeritur. Accedit ad haec etiam quod pleraque nova et amoena de cardinalium potestate, institutione et origine dicturi sumus. Nec est quod quisquam obiiciat Barbatiam specialem de his tractatum fecisse. Alio enim ordine dicturus sum, aut sicubi visus fuero eum referre, hoc certe, ut clare intuenti patebit, existiment omnes, me fecisse ad taxandas (quod pace tanti viri dixerim) opiniones in quibus interdum lapsus est inconsulte. Adde ad materiam quod Joannes Andreas in dictis additionibus Speculi dicebat eundem Speculatorem in praesenti Rubrica sibi fuisse dissimilem, ac non eum ordinem servasse, quem solet in reliquibus rubricis suis, utpote qui tractatum de legato primum publicavit. Et in illa publicatione libri sui non inseruit tractatum illum, quod postea mutato consilio fertur fecisse. adde praedictis pulchram et elegantem formam ex qua et olim et hodie constituitur legatus, et e qua idem Speculator meminit *eodem titulo § qualiter, versic. sane et vers. antiquis temporibus.* Et Joannes Andreas illic dicit in eo recurendum ad stylum seu formularium curiae Romanae. Quo in loco multae formae gratiarum quae solent concedi legatis describuntur. Et eodem loco inseruntur Commendationes legati in Franciam destinati. Ac secundum eum longe pulchrius commendatur Sabiniensis episcopus missus in Angliam in forma quae incipit Pater futuri seculi.

. . . . . .

[fol. C.] Conclusiones.

Prima. Legatus dicitur quicunque ab alio missus est.

Secunda. Legatorum, ut canonum interpretes sumunt, tres sunt species, a latere, missi et nati.

Tertia. Cardinalatus realiter ac ministerio est de iure divino.

Quarta. Cardinalatus quo ad novum et [per] accidens est de iure positivo.

Quinta. Tres sunt cardinalatus status, episcoporum, presbyterorum et diaconorum

VI. Cardinales qui assistunt papae habentur pro residentibus in suis beneficiis.

VII. Ante tempus conventus Basiliensis cardinalium numerus non legitur fuisse certus.

VIII. Cardinales legati a latere conferuntur proconsulibus, missi praesidibus.

IX. Cardinali legato a latere is est in provincia exhibendus honos, qui et summo pontifici, cuius vices gerit.

X. Legatus in provincia sibi decreta habet iurisdictionem ordinariam.

XI. Legatus in provincia sibi decreta potest adiri per viam querelae.

XII. Legatus etiam a latere non potest deponere episcopos.

XIII. Legatus a latere ex generali legatione non potest transferre episcopos vel unam ecclesiam cathedralem alteri subiicere et concedere ius primatiae, nec unum episcopatum dividere, nec duos unire.

XIV. Legatus etiam a latere de causa alteri specialiter delegata se non impedit.

XV. Legatus postquam retulit negocium ad superiorem, desinit esse iudex et non potest amplius iudicare.

XVI. Legati in provincia sibi decreta possunt facere statuta.

XVII. Praesente legato a latere, legatus quicunque officii executionem dimittere debet.

XVIII. Per dationem secundi legati non revocatur primus.

XIX. Legatus a latere potest conferre beneficia, alii non, nisi habeant speciale mandatum.

XX. Legatus a latere potest reservare beneficium, etiam in favorem certae personae.

XXI. Legatus a latere potest conferre beneficia quorum collatio est devoluta ad papam.

XXII. Si papa, ordinarius et legatus idem beneficium eadem die conferunt diversis, nec apparet de prioritate, potior est causa possidentis qua possessione cessante maior praerogativa praefertur.

XXIII. Legatus a latere potest conferre beneficium quod est in praesentatione patroni ecclesiastici.

XXIV. Legatus a latere non potest conferre beneficium quod est in praesentatione patroni laici.

XXV. Legatus extra provinciam sibi decretam exercet ea quae sunt voluntariae iurisdictionis.

XXVI. Legatus extra provinciam non exercet actus contentiosae iurisdictionis

XXVII Legatus ab excommunicatione incursa pro violenta manum iniectione absolvit

XXVIII. Legatus missus, qui habet legationem ratione personae, absolvit subditos existentes in provincia.

XXIX. Legati nati ab excommunicatione incursa pro violenta manum iniectione non absolvunt, nec in provincia, nec extra.

XXX. Finita potestate legati, finitur potestas delegati ipsius, nisi citatio praecedat.

XXXI. Collatio secunda facta a legato, proprio motu propter taciturnitatem primi non est subreptitia.

XXXII. Legatus a latere potest instar episcoporum concedere indulgentias.

XXXIII. Potestas legati a latere non expirat per mortem Papae.

[Exstat etiam in Tractatu Tractatum, tom. XIII pars II, ff. 230 — 258.]

Petrus Andreas Gambarus [P. A. Gambaro].

Tractatus de officio atque auctoritate legati de latere, per R. Petrum Andream Gambarum, Bononiensem, Jurisconsultum celeberrimum, Romanae Rotae Auditorem Episcopumque Faventinum conscriptus et in decem libros digestus,

In quo, praeter alia complura, quae ad ipsius legationis, officii munus pertinent; casus omnes Pontifici Maximo reservati, Beneficiorum Permutationes, Pactiones, Coadiutoria, atque Dispensationes, ita loculenter, et docte pertractantur, vt nusquam ab alio, vel melius fuerint hactenus expositae: vel clarius enodatae.

Ab Augustino Ferentillo J. U. D. summo studio summaque diligentia recognitus.

Venetiis, Apud Vincentium Valgrisium
MDLXXI.

[Epistolae dedicatoriae duae: C. Gambarini et A. Ferentilli + Index Alphabeticus + 326 pp.]

[**B. N.; Dr.** Hist. Pontif. 75.]

Jo. Francisco Gambarae Cardinali Carolus Gambarinus:

Patruus meus . . . dum Pannonicam legationem obiret nactus ocium . . . rem quam agebat meditans, librum de officio atque auctoritate Legati de latere conscripsit: in quo quidem tantam adtribuit diligentiam, ut, cum rem ipsam a paucis tum tractatam, a nemine tamen satis explicatam haberemus, hic ipse et tractasse maxime, et declarasse solus videri potest . . . [Cum fratre suo librum hunc edere curavit.]

Exordium [Liber I].

Tractaturus materiam potestatis legatorum de latere, ex qua infinita propemodum dubia oriri solent, ideoque sine multarum rerum scitu dignarum cognitione explicari nequit; operepreciuum esse duxi, materiam totam in libros decem partiri, ut facilius quae dicenda sunt memoriae mandari possint, cuiuslibet enim libri initium breviter, quid in eo libro contineatur, habebit. Hoc autem primo libro (ut ordine suo singula tradantur) rei de qua agitur, diffinitionem habebimus, subditis multis, quae ex diffinitione ipsa eliciunt, quaestionibus. De Referendariis pauca quaedam non iniucunda, mox pleraque ad legati officium, moresque pertinentia breviter exponam.

1. Venio igitur ad primum et quaero: Quid sit Legatus? Respondeo: legati nomen late sumptum praedicari de omni homine ab alio misso, *c. Presbyterum, 50 dist. l. 1 et 2 ff. de legat.*

2. Quare et nuncii ad nos missi ab hostibus, legati dicuntur, quorum causa sancta est, et si quis eos violaverit, hostibus, quorum legatus erat, tradendus est, ut illorum servus efficiatur, *l. fi. ff. eod.*

3. Item et episcopi dicuntur legatione fungi, 4. immo et sacerdotes, quos qui persequitur, dicitur Christum iniuria afficere . . . .

5. Nostri vero instituti est, non de omni legatorum genere tractare, sed de his tantum, qui ab Apostolica Sede mittuntur. Sed neque etiam de his universaliter. 6. Verum de his tantum, qui cardinalatus titulo illustres a Romanis pontificibus destinantur, quos ego ob excellentiam legatos appellare soleo, *§ sed ius quidem,* Instit. *de iure nat., gent. et civ.;* in his enim omnis aliorum legatorum vis atque potestas concluditur, sicut alias in via minorum servitutum commoditates . . .

7. Non ignorandum tamen tria esse eorum qui ab Apostolica Sede mittuntur, legatorum genera secundum triplicem nominum distinctionem. 8. Quidam enim nati. Quidam missi. Quidam de latere simpliciter nominantur.

. . . . . .

De potestate legati antequam provinciam ingreditur.

Qualiter se gerere debeat legatus in ingressu provinciae.

Qualiter legatus se gerere debeat, cum provinciam est ingressus.

Ingressus vero provinciae civitatem seu locum destinatum, priusquam iurisdictione uti incipiat, legationis suae literas ostendet ac publice intimabit. Nunquam enim apostolicae sedis moris fuit absque signatis apicibus undecunque legationem suscipere, *cap. nobilissimus, 97 dist.; cap. lectis, 63 dist. et in* Extravagan. Bonifa. 8 *quae incipit Iniuste.* Si igitur ipsa non recipit alios sine literis nec alii suos ut aequa sit lex . . . .

De potestate legati extra provinciam.

Quae differentia sit inter legatos de latere et alios legatos.

. . . . Sexto, quia legato Cardinali etiam sine literis adhibetur fides, ut supra dixi. Adverte quia sunt etiam legati de iure civili, *l. observare, l. legatus, l. et legati, de off. praes.,* et dicuntur qui dantur a praeside provinciae, *ut ibi,* et etiam qui mittuntur a principe sunt legati, *ut C. de legat. lib. 10, per totum,* et ab omnibus istis ad legatos nostros argumentamur affirmative, non negative.

Liber II.

Quoniam progressus qui a generalibus ad specialia fit, laudatur ab his qui scientifice aliquid tradunt, praesenti libro generales quaedam re-

gulas ad totam materiam duces ponemus, elegantia quaedam lectu non iniucunda inserentes. Prima igitur regula erit: Legatus de latere est ordinarius totius provinciae . . .

De variis ordinariorum nominibus, eorumque distinctis potestatibus.

Liber III.

De potestate legati de latere circa beneficia conferenda.

Liber IV.

De potestate legati in reservando beneficia.

De potestate legati in commendando beneficia.

Liber V.

Hoc libro, quoniam unioni commenda aequiparari solet, quae sit legati in beneficiis uniendis, moxque in eisdem dismembrandis, ac etiam erigendis potestas, dicemus. Adiiciturque quid in hospitalibus, quid in permutationibus, an coadiutores dare possit, an dispensare, ut qui sint plurales in beneficiis.

Liber VI.

De Pensionibus.

Liber VII.

Hoc septimo agetur quomodo illegitimi per legatos ad ordines et beneficia dispensentur. Et posito in primis tenore facultatum Reverendissimi Domini mei, quae communiter conceduntur legatis de latere, formabuntur quaestiones in materia tam pro enodatione facultatum, quam iuris communis, deinde de dispensatione circa matrimonia, et circa aetatem aliquid dicemus.

Liber VIII.

Agendum octavo hoc libro de potestate legati in iudicialibus, deinde in statutis condendis, mox in excommunicatis absolvendis, indulgentiisque dandis; postremo, quid in religiosos atque exemptos possit.

Liber IX.

De facultate legati legatione finita.

Liber X.

Dispensationis tractatulum velut appendicem ad totum volumen hoc ultimo libro dabimus, secuti institutum Speculatoris, Hostiensis et aliorum, qui postquam de legato egerunt, materiam hanc studiose complexi sunt, diverso tamen stilo et breviori via, quam ab ullo ante nos factitatum fuit.

[Exstat etiam in Tractatu Tractatuum, ed. Venetiis MDLXXXIIII, in-f°, t. XIII p. II, ff. 150 v° — 230 v°.]

Stephanus Doletus [Étienne Dolet].

Stephani Doleti Galli Aurelii Liber unus
De officio Legati, quem uulgo **Ambassiatorem** uocant [pp. 7—22]

Et item alter
De immunitate legatorum [pp. 23—30]

Et item alius
De legationibus Joannis Langiachi Episcopi Lemovicensis [pp. 31—44]

Lugduni, ap. Steph. Doletum 1541
[4° 46 pp.]
[**B. N.** Inv. Rés. *E 329; **M. HB.**]

Epistola nuncupatoria — Langiacho Episc. Annus jam pene decimus tertius . . . abiit, cum Venetiis tecum agens . . . opus iuvenili, fateor, carminis vehementia conscripsi. Et hoc ipsum ad hunc quoque diem asservavi: non sane pro derelicto, sed tantum pro intermisso ad aliquod tempus habens . . . . et uero ut quid in eloquentiae studio et rerum cognitione prudentiaque communi hactenus profecerim, documentum praebeam, tuarum legationum libro librum alterum de officio legati praemisi. Quem ipsum scripsi in te semper intuens, velut singulare et unicum Legatorum omnium nomine dignorum exemplum. Quidquid autem in eo observandum tradidimus, id omne in te residere certum est . . . .

[*Summarium.* De officio Legatorum: (p. 7) Requiritur a legato cognitio rerum in propria civitate et in illa, ubi legatus missus est. (p. 8) In legato spectari debent: Aetas (media aetate eligendi); (p. 9) „adde, quod barbati facies prae-

stantius nescio quid spondet, gravitatemque prae se fert. Quod ipsum maximi saepe est momenti apud eos, quibuscum Legati res est.“ „Genus in legato spectari non mihi ita admodum placet. Non enim nobilitas, aut ortus obscuritas ingenium virtutemque cuiquam parit . . . Genus igitur ne vel tantilli apud me est.“ (p. 10) Ordo et status. „Legati ex ecclesiastico ordine fere deligi solent nostra aetate . . . ad seculares secularis ecclesiasticus ad ecclesiasticos mittendus.“ (p. 11) Conditio. „Splendor esse debet pro eorum manificentia, apud quos agat.“ (p. 12) Forma corporis. Legatus eloquens sit. Brevitas in loquendo. Quorundam ridicula insolentia. (p. 13) „Legati officii primae partes: domestici status ratio . . (p. 14) Consiliorum alienorum exploratoribus Legato utendum est . . . (p. 17) Severitas cum humanitate Legato iungenda . . . Si cum Venetis aut Romano Pontifice vel aliis Italiae principibus aliquid conficiendum habet, ut illi simulationis, dissimulationisque eximii artifices sunt, simulet item ipse, dissimulet, longe aliter semper atque sentiat, loquatur“ . . . (p. 20) „Legatus pacis semper autor sit, non discordiae“ . . . — De immunitate Legatorum: (p. 24) „Legatorum immunitates non eae sunt nostro tempore, quae fuerunt quondam.“ „Quare quae mox de legatorum immunitate sequentur, non ad nostrum tempus (nisi ut minimum) referantur, sed ad Graecorum Romanorumque leges; id est majorum nostrorum, non posteriorum aetatem.“ Immunitas legatorum in quibus consistit. Non raro violata. Exempla violationis. Privilegia legatorum. — Liber tertius — De legationibus Jo. Langiachi: Auctoris carmina Legatum et eius Legationes laudantia.]

Conradus Brunus [Conrad Braun].

D. Conradi Bruni, iureconsulti opera tria, nunc primum aedita *(sic)*. **De legationibus libri quinque:** cunctis in repub. versantibus, aut quolibet magistratu fungentibus perutiles et lectu iucundi. — **De caeremoniis** libri sex... **De imaginibus** liber unus... Cum Gratia et Privilegio.. ad septennium. Ex officina Francisci Behem, Moguntiae apud S. Victorem. MDXLVIII.

[In-f°, pp. 244 (De legationibus) + pp. 223 (De caeremoniis) + pp. 154 (De imaginibus).]

[**P.** X $^{XI}/_{2}$ 44; **Br. M.** 521. m. 2.]

[Dedicatio:] D° Othoni, S. Rom. Eccl. Cardinali et Episcopo Augustano.]

Ad lectorem [Jo. Cochlaeus editor]: ... isti quinque libri de Legationibus tantum doctrinae pietatisque et honestatis ubertatem tibi pollicentur ac prae se ferunt, ut a me nihil lectum aut visum fuisse intra XL annos existimem, quod huic operi iure praeferri, aut etiam ex bono et aequo digne conferri queat... Ego certe nullum alium scio, neque ex vetustioribus neque ex recentioribus Jurecunsultis: qui vllam materiam aut Quaestionem iuris, ita tractaverit ampliter, subtiliterque ac venuste, per omne genus disciplinarum, ex tanta optimorum Authorum sylva, et ex tanta rerum gestarum commemoratione: appositissimaque exemplorum ad legis morumque et iustitiae praecepta applicatione, quantam admirabili memoria atque dexteritate ingenii, adducit ubique in his Quinque libris D. Brunus. Quanta est hic, obsecro, copia allegationum, et brevissime quidem adnotata, ex omni librorum et disciplinarum genere? Ex sacris literis utriusque testamenti, ex textu utriusque Juris, Ex antiquis et probatis Ecclesiae

Doctoribus, Ex Jureconsultorum amplissimis et subtilissimis commentariis, disputationibusque et consiliis atque aliis innumeris eorum scriptis et tractatibus. Ex latissimo campo Historicorum tum Ethnicorum tum Christianorum et Judaeorum, et quidem selectissimorum . . . Ex tanta Conciliorum, quae diversis temporibus in diversis orbis Christiani locis regionibusque habita fuerunt, multitudine. Ex tam piis doctisque et non minus rationi, aequitati et honestati, quam fidei et religioni, consentaneis Ro. Pontificum, praesertim Leonis I et Gelasii I Decretis et Epistolis. Ex celeberrimis denique Philosophis Oratoribusque et Poetis..... Consydera, precor, quam sit locuples hic Author in subtilibus punctis iuris, brevissimis allegationibus . . . . Quam dexter item ac diligens in diffinitionibus et divisionibus, iuxta certam et ordinatissimam Methodi rationem . . . .

[Sequuntur laudes C. Bruni per Ambrosium Catharinum, episc. Minoriensem, Matthiam Held, Caes. Consiliarum et Joan. Gropperum, scholasticum S. Gerconis Colon.].

Elenchus operis

Lib. I. *De Personis eorum qui mittunt Legatos, deque mandatis et rebus Legationum.*

Cap. 1. Sermonem hominibus humanae societatis conservandae causa datum esse etc. . .
Cap. 2. Non omnia tuto per literas et scripta, sed quaedam per fidos homines commodius transigi inter absentes.
Cap. 3. Varia esse genera personarum, quarum ministerio cum absentibus utimur.
Cap. 4. Quid sit Legatio.
Cap. 5. Legationem sine missione et mandatis esse non posse.
Cap. 6. De qualitate et conditione personarum, quae Legationes mittunt.
Cap. 7. Sorténe an electione, et quo ordine dandi sint Legati.
Cap. 8. De mandatis Legatorum.
Cap. 9. De duobus generibus mandatorum . .
Cap. 10. Mandata Legatorum, literis tantum, non etiam testibus probari.
Cap. 11. De mandatis, instructionibus, literis commendatitiis, et iis quae vocant credentiae.
Cap. 12. De occultis mandatis.
Cap. 13. Quarum rerum sit Legatio.
Cap. 14. De Legatione libera.

Lib. II. *De Personis eorum qui Legati mittuntur: de scientia item et virtutibus Legatorum.*

Cap. 1. De personis eorum qui mittuntur; Quos Legatos et oratores uocamus: Et de variis generibus eorum.
Cap. 2. Quae personae Legationibus et quibus ex causis, fungi non possunt.
Cap. 3. De personis quae propter statum et conditionem, non quidem in totum, sed a certis personis ad certas, et in rebus certis, Legationibus fungi non possunt.
Cap. 4. De scientia Legatorum.
Cap. 5. De prudentia, et ad res agendas industria, solertia, et sagacitate Legatorum.
Cap. 6. De experientia Legatorum, senioresque iunioribus in Legationibus esse praeferendos.
Cap. 7. De Eloquentia Legatorum.
Cap. 8. De Interpretibus Legatorum.
Cap. 9. De fortitudine et constantia Legatorum.
Cap. 10. De iustitia Legatorum.
Cap. 11. De continentia Legatorum.
Cap. 12. De modestia Legatorum.
Cap. 13. De gratia Legatorum.
Cap. 14. Multine an pauci, et quot numero Legati super una re mittendi sint.
Cap. 15. De comitibus Legatorum.

Lib. III. *De officiis Legatorum.*

Cap. 1. De officio Legatorum, à sua ipsorum persona sumpto.
Cap. 2. De officio à Legatis reddendo iis à quibus mittuntur.
Cap. 3. De officio Legatorum iis ad quos mittuntur praestando.
Cap. 4. Ad officium Legati pertinere, ut mandata diligenter bonaque fide conficiat.
Cap. 5. De officio Legatorum quibus iurisdictio mandata est.
Cap. 6. De officio Legatorum in his quae ad cognitionem rerum sacrarum pertinent.
Cap. 7. De officio Legatorum, quae a prophana iurisdictione ducuntur.
Cap. 8. De officio Legatorum bellicorum, quod in earum rerum cognitione versatur, quae ante bellum geruntur.
Cap. 9. De iurisdictione quam Legati bellici in ipsa belli administratione, et post bellum confectum exercent.
Cap. 10. De foederibus et pace.

Cap. 11. De officio Legatorum in paciscendis foederibus et facienda pace.
Cap. 12. De officio Legatorum in consultando.
Cap. 13. De officio Legatorum in his, quae ad meram executionem pertinent: ac inibi de variis caeremoniis et ritibus indicendorum bellorum, ac percutiendorum foederum.
Cap. 14. De matrimoniis et sponsalibus, quae per Legatos contrahuntur.
Cap. 15. Quo ordine et processu Legationes rite administrentur.

Lib. IV. *De privilegiis et immunitatibus Legatorum.*

Cap. 1. De iure non violandorum Legatorum.
Cap. 2. De poenis eorum, qui Legatos contra ius gentium violant.
Cap. 3. Iniuriam contra ius gentium illatam, etiam ii qui eos mittunt vindicare debent.
Cap. 4. Jus non violandorum Legatorum: iis tantum servandum esse, qui honeste in Legatione versantur.
Cap. 5. De immunitatibus Legatorum.
Cap. 6. Legati, an munera ab iis, ad quos mittuntur, accipere possint.
Cap. 7. De salariis Legationum.

Lib. V. *De personis eorum, ad quos mittuntur Legati et de officio eorum in suscipiendis dimittendisque Legationibus.*

Cap. 1. De personis eorum, ad quos mittuntur Legati, deque earum conditione et qualitate.
Cap. 2. De eorum ad quos mittuntur Legati, circa Legationes autoritate.
Cap. 3. De Conciliis publicis, et uariis generibus eorum.
Cap. 4. De personis Conciliorum tam sacrorum quam prophanorum.
Cap. 5. De authoritate Consiliorum.
Cap. 6. De admissione Legatorum, et quo modo ab iis ad quos mittuntur, excipiendi sint et tractandi.
Cap. 7. De dando Legatis Concilio et audientia, deque loco et tempore ipsorum.
Cap. 8. De vocatione Legatorum in Concilium et de sessione ipsorum.

Cap. 9. De ritu et ordine audiendarum Legationum, ac primum de audiendis postulatis Legatorum.
Cap. 10. De rogandis sententiis, audiendisque suffragiis Legatorum, in Conciliis publicis.
Cap. 11. De dimittendis Legationibus.
Cap. 12. De his qui cognitionem postulatorum et controversiarum ad alios reijciunt.
Cap. 14. Oportere eos, ad quos Legationes mittuntur, in dandis responsis, iustitiae dignitatisquae suae rationem habere.
Cap. 15. De forma responsorum.
Cap. 16. De decretis publicorum Conciliorum.
Cap. 17. De subsignationibus atque subscriptionibus Decretorum.
Cap. 18. Quae sint praesidentium partes, si maioris partis sententia contra minorem: sed eandem tamen potiorem et saniorem, praevaluerit: aut minor pars maioris partis legitimo decreto parere noluerit.
Cap. 19. De decretis eorum, qui de rebus ad Concilium delatis, soli decernendi definiendique potestatem habent.
Cap. 20. De profectione Legatorum.
Cap. 21. Quales in accipiendis muneribus, et honoribus esse debeant ii, ad quos mittuntur Legati.
Cap. 22. De renuntiatione Legationum.

Julius Ferretus [Giulio Ferretti].

De oratoribus, seu legatis Principum, et de eorum fide et officio.

[1. „Julii Ferretti ... Consilia et Tractatus ... Nunc primum in lucem veniunt .... Venetiis, 1562. Apud Ludovicum Avantium". In-4°. — Tractatus «de oratoribus et legatis» impressus est foll. 81 v° — 84. — **P.** X $^{XIX}/_{4}$ 98: **Br. M.** 8425. bb. 46.]

[2. „Julii Ferretti Ravennatis ... De re et disciplina militari aureus tractatus .... Venetiis, ap. Bologninum Zalterium, 1575." In-fol°. — Tractatus «de oratoribus seu legatis» impressus est pp. 383 — 386. Continet §§ octo. — **Br. M.** 534. m. 7; **B. N.** Inv. F. 1715; **Oxf. B.**]

Petrus Rebuffus [Pierre Rebuffe].

De legatis Papae, et Regum, Principum, et communitatum sive civitatum.

[„Petri Rebuffi. Tractatus varii, extrema authoris manu recogniti ... Lugduni, Apud haeredes Gulielmi Rouillii ... M. D. C." In-fol°. — Tractatus de Legatis impressus est in parte II, „ex manuscripto Authoris, nunquam antehoc edito", pp. 27—29 (tractatus tertius partis II). — **B. N.** Inv. F. 1214.]

Raphael Cyllenius.

De legato Pontificio.

In Acad. Veneta

1558

[4° foll. 15].

[Nomen auctoris impressum est ultima pagina].

[**P.** X IX/7 89; **B. N.**; **M. HB.** 4° Germ. 149[1] (4) & 4° J. can. p. 486]

[fol. 1] Cum his proximis mensibus Summus Pont. me ad Regem nostrum Legatum mittere decreverit, qualem eum esse conveniat, qui tale onus sustineat, deque eius officio scribere institui, exemplo multorum prudentium virorum, qui antequam ad rem aliquam peragendam accesserint, ea de re commentarios conscripserunt, quo illis, tanquam praeceptoribus ac magistris in omni actione uterentur. Sic ego . . maximi mihi adiumento futurum ad hoc onus ferendum existimavi, si . . effingerem Legatum, qualem ego summum ac perfectissimum iudicarem, qui mihi semper esset propositus ad imitandum.

. . . orationem ad illos tantum pertinere, quos Pont. Max. ad Christianorum Principes mittere solet, ut definito tempore aliquo sint in legatione: quos Nuncios appellamus. quamvis, cognito quid Legatum Pontificium deceat, facile erit scitu, quid ceteros facere conveniat. Manat enim latius, vagaturque diffusius istius nostri officium: quando quidem non solum, quod commune cum aliis est, Principis sui negotia prudenter ac fideliter tractare, et conficere debet, sed etiam ius dicere, caeremonias facere, clericos in officio continere, reliquos cives, vitae maxime exemplo, ad Dei cultum ac religionem incitare.

Octavianus Magius [Ottaviano Maggi].

De Legato | Libri Duo | Octaviani Magii. Ad Ampliss: Virum, | Ac Senatorem Clariss: | Aloisium Mocenicum | Equitem, et Procuratorem. | Venetiis, M. D. LXVI.

[4° (foll. 7) + pp. 66.]

[**D.** Alex. 1666 (3); **B. N.** Inv. *E 614; **Br. M.** 6916. aaa. 9; **Oxf. B.**]

II.

Octaviani Magii JC. Clariss. **De Legato libri duo.** In usum studiosorum nunc primum in Germania in lucem editi.

Ex Bibliotheca clariss. JC. Marquardi Freheri consiliarii Palatini, Hanoviae, Apud Guilielmum Antonium M. DXCVI.

[8° pp. 1—160. Ad calcem libri La Mothe Le Vayer «Legatus seu de Legatione», Hanoviae 1596. Vide infra]

[**Oxf. B.** Crynes 323; **Bonn** Ir. 193].

Hieronymus Ruscellius [editor] Lectoris *[sic!]* Cum superioribus diebus ad manus nostras peruenisset Latinus liber de legato Octauiani Magii, nobilissimi iuuenis, . . . dedimus operam, ut, ad communem usum, in lucem prodiret. Praeclare hoc opus et difficile argumentum, mihi amicisque compluribus dignum uisum est, ut illud impressoribus edendum concedemus. quod si forte moleste tulerit auctor, qui nullo pacto librum hunc, quem sibi ipsi scripsisse affirmat (quae sua est modestia) circunferri uolebat; ueniam, credo, dabit nobis . . . nec, ut puto, contemnet iudicium clarissimorum hominum, qui cum nobis librum ipsum legendum dedissent, id ut faceremus, eodem auctore quoque insciente, non modo suaserunt, sed quasi etiam impulerunt Nos autem, qui semper fauimus ingeniis, hoc onus libentissime suscepimus; atque eo etiam magis, quod ipsum Magium excellenti praeditum ingenio gloriaeque cupiditate flagrantem

cognouimus. qui quidem, praeterquam quod elegantissime, et ornatissime, Ciceroniano more, cogitationes exprimit: ac Latine, Italiceque scribit egregie; Graecamque linguam tenet; philosophiae ceterarumque scientiarum laudem eximiam in Patauina Academia atque in hac ciuitate facile est adeptus. Merito igitur eius opera saepenumero usa est haec Respublica magnis in rebus. etenim missus est adolescens Romam atque in Galliam cum clarissimis senatoribus legatis. Venetiis. IX. cal. septemb. M.D.LXV.

[O. Magii Dedicatio Aloisio Mocenico.]

. . . me tecum primum a Senatu Romam esse missum, Mocenice clarissime, in nobilissima illa tua ad Paulum IIII Pont. Max. legatione, quam etiam Reipub. nomine, Paulo mortuo, apud Pium Quartum obijsti .... [Laudes Mocenici]. Cum igitur multa memoria, & imitatione dignissima tum in te, tum in alijs sapientissimis hominibus essent a me, dum Romae commorati sumus, animaduersa, post reditum in Patriam, sum missus in Galliam cum Marco Antonio Barbaro . , . . Sed cum ipsius philosophiae studio, ut initio dixeram, iandiu incensus essem, complexus eram in primis eam partem, quae in agendo uersaretur . . . eius vero philosophiae cum pars praecipua esset administratio ciuitatum, . . . mihi quidem (quod meae uitae rationi maxime consentaneum uidebatur) quid de sapientissimorum hominum scholis ad res gerendas didicissem, erat hoc tempore explicandum. Qua de causa minime alienum fore existimauimus ab instituto nostro, si litteris mandaremus ad usum nostrum ea, quae obseruauimus in publicis quibusdam personis, quarum ex numero unam nobis proposuimus describendam, de qua nemo, quod ego sciam, disseruit unquam antea; idest legatum generatim omnium principum. in quo quidem formando, aut quaerendo dedimus operam, quantum in nobis fuit, ne quid praetermissum, aut relictum videatur ex iis rebus, quae sunt in legati persona maxime requirenda. Sane perfectum legatum spectauimus, cujus formam habebamus animo comprehensam; atque hac in re sumus imitati doctissimos & elequentissimos uiros Platonem, Xenophontem, & M. Tullium, quamquam Plato descripsit Remp. cujus imaginem constat uidisse neminem; Xenophon talem expressit Regem . . qualis . . . nusquam fuit; Cicero item Oratorem formauit suum, qualem nulla unquam tulit aetas. Verum ea, quae sunt perfectissima . . . propter hanc causam, ut opinor, constituerunt, ut in hanc perfectionem, & absolutionem, quasi quandam in Ideam intuentes homines, si minus eam consequi possint imitatione, ad eandem tamen proxime studeant accedere uoluntate Extabit quidem opus de legato, quod multa fortasse habuit ad explicandum difficilia, duobus distinctum libris, quos ego scriptos (non enim digni sunt ut edantur) ad te in primis esse mittendos . . . iudicaui . . . . .

Libri Primi Capita II.

De Legati dignitate. . . . . Cap. I.
De Legati officio . . . . . Cap. II.

Secundi Libri Capita II.

Quibus in primis artibus, ac doctrinis legatus debeat esse instructus . . . . . Cap. I.

Quibus praecipue uirtutibus, atque ornamentis legatum oporteat esse praeditum . . . . . Cap. II.

[Summarium Libri I Cap. I: De dignitate Legati.]

[fol. 2] . . Propositum igitur nobis est formare perfectum legatum: idest disserere quid eum deceat, qui mandata deferat, atque agat negotia sui Principis, cuius sit interpres, & curator mandatorum externis in locis. Ac futurus quidem nobis sermo est hoc tempore de illa persona quae mitti a principibus solet ad res repetendas, ad bella indicenda, ad foedera facienda, ad omnia denique publica gerenda negotia, cum mandatis, unde ea, quae agi suo arbitratu nolunt Principes, quodammodo pendent...

Vetus quidem consuetudo est, optimumque institutum decernendae legationis, quod diuinitus nobis traditum ad omnes deinfol. 2 v°. ceps gentes || & nationes translatum fuit . . . Antiquum autem, & praeclarum hunc morem esse constat, quod ita legatio in omni Regno, atque in omni Republica necessaria est, ut nulla, sine ea, administrationis esse perfecta ratio uideatur. Itaque merito apud antiquos ius legatorum sanctum; et inuiolatum, iure gentium habitum est . . . . Etenim uiolare legationem non modo apud Graecos, sed apud Barbaras etiam nationes grauissimum crimen semper fuit . . . Quare ius ipsum legationis cum hominum praesidio munitum, tum etiam diuino iure uallatum est. quod ueteres summa fide, ac diligentissime omni fere tempore seruarunt, et ita seruarunt, ut eos quoque, qui essent in legatione aliquando in fraudem delapsi, integros, iure gentium, et incolumes dimiserint.
fol. 3. [Legatos Tarquiniorum consules liberos dimiserunt; Scipio Africanus nauem, Carthaginiensibus onustam, inuiolatam remisit, quia se legatos ad eum missos dixerunt esse.] . Sanctum igitur ius legatorum, ex omnium seculorum memoria, ad hanc usque aetatem ita fuit, ut non uiolari inter inimicos, et hostes; ne dum inter amicos, et socios debuerit unquam. nam et hostium legati, iure gentium, liberi debent esse, et inter arma, sola legatio, fide publica, tuta, pacis faciem, et nomen secum uidetur afferre. Ciuili iure praescriptum fuit, ut si quis hostium legatum uerberaret, ijs, quorum erat legatus, dederetur; quod ius, ut a nobis postea demonstrabitur, est a Romanis diligentissime seruatum. Iure uero canonum, seu Pontificio est sancitum, ut ij, qui legationibus obsistunt, sacris interdicantur, atque a Christiana Repub. exterminentur: quod ab Alexandro I Pont. Max. aduersus eos, qui legatum Pontificium impedierant, factum est.

Sed quanquam ius legatorum sanctum, ut diximus, et inuiolatum communi iure gentium, ac lege ipsa naturae, semper sit habitum; incidit tamen in omni fere aetate aliquando tempus, quo legationes, contra quam ius, et fas erat, sint uiolatae. [fol. 3v⁰ Exempla vetera et recentiora. Sed] nullas fere unquam fol. 4. id genus inultas iniurias, atque impunitas esse relictas. [Exempla ex historia vetera et inferioris aetatis: bella indicta propter vio- fol. 4v°—5v°. lationem, violatores dediti, statuae in honorem legatorum erectae.]

His igitur explicatis, dicendum a nobis aliquid uidetur esse fol. 6 de ipso legationis honore . . . Senatus enim Rom., qui terrarum orbi quondam praesidebat, . . . suae censuit esse maiestatis, honestissimas semper mittere legationes . . . . quid est, ubi elucere fol. 6 v°. singularis hominum uirtus, et integritas possit magis? Atque in eorum sane personis, quae debeant saepenumero legari, non sunt, meo iudicio, facienda pluris familia uetus, et perillustris, ac commendatio maiorum, quam uitae innocentia, cognitio disciplinarum, ornamenta uirtutis. Equidem sic iudicò, . . . in legato spectari quidem genus, et nobilitatem oportere . . . non uidetur decere, ut obscuri mittantur homines legati ad Reges aliosque Principes . . . sed considerandum est etiam, an sint uirtute praediti; optimarum artium studiis eruditi; an sint prudentes, usumque rerum maximarum percalluerint . . . habendus est igitur quidam delectus personarum . . .

Mos erat antiquus omnium populorum, ut legationes exter- fol. 7. nas quam honorificentissime exciperent. [Mos Romanorum alio- fol. 7 v°. rumque populorum.] Ac moris item erat antiquorum, ut legatione in urbem admissa, legatis diem, quo audirentur, eorum arbitratu, Senatus daret. [Mos Venetorum in excipiendis lega- fol. 8. tis.] praeterea uero omnium fere Principum moris est, in admittendis, et audiendis legatis faciles se praebere . . . Porro autem consueuerunt Christiani Principes, cum legati in Patriam redire iussi sunt, eos, in discessu, equestri honore decorare . . .

Sed aliquid etiam hoc loco dicendum uidetur de legatorum priuilegiis, et immunitatibus, quod ad eorum dignitatem maxime pertinet. [Ius habent munera a Principibus accipere, ius reuo- fol. 8 v°. candi domum; si morbo afficerentur et legatio retardaretur, habendam eorum salutis esse rationem; post legationem per biennium, si velint, a munere publico vacare possunt.] Immunitates uero legatis dantur huiusmodi, ut tam eorum, quam familiarium sarcinae, quas secum, usus sui gratia ferunt, sine portorio aut uectigali aliquo exportentur. non enim legati pro rebus sibi uel

ad uictum, uel ad cultum, curationemque corporis, in itinere necessariis, pecunias, seu uectigalia debent alicui pensitare. Haec fere habuimus de dignitate legati, quae litteris mandaremus.

fol. 9. [Cap. II.] De Legati officio.

. . . utrum boni ciuis sit, legationis onus sibi a Patria, uel
fol. 10. a Principe impositum suscipere. . . . [Decreto Venetorum etiam] poena est in eos constituta, qui legationis munus obire aliquando nollent . . . legitimam eos in Senatu dare oportet excusationem . . . — Boni ciuis esse ostendimus, legationem, data quidem occasione, accipere: nunc autem parum modesti dicimus, lega-
fol. 10 v°. tionis honorem uehementer, et ambitiose petere . . . tolli debere immoderatam legationum cupiditatem . . . — Considerandum, utrum onus suscipiat, quod sustinere suis uiribus possit . . . . Vt unusquisque artem, quam nouerit, exerceat, praeterea nihil . . .

fol. 11. Officium legati praecipuum est, omnia fideliter, et ex animo agere. Finis uero est, ea facere, et ijs rebus consulere, quae
fol. 11 v°. Reipub. suoque principi maxime conducere uidentur. [Praeter fidem] legati praecipuum, et maxime proprium opinamur, naturam principis, ad quem est missus; atque etiam eorum, quibus princeps utitur, consiliariis et administris, aeque ac suam cognos-
fol. 12. cere [„formam hominis“, „temperaturam corporis“; „spectetur in eo genus et stirps“, „utrum nouus princeps sit; an iure haere-
fol. 12 v°. ditario peruenerit ad principatum“; principis nationem, aetatem;
fol. 13. „non modo mores Principis, sed totam etiam uitam“, „uirtutes et uitia“; „exquirenda sunt Principis consilia“, cuiusque „partis sit et quo in ceteros Principes animo“]. Legato autem maxime nitendum esse arbitramur, ut sibi primum Principis, deinde aliorum, qui apud eum auctoritate ualent, animos conciliet . . .

fol. 13 v°. Nunc ueniamus ad alias officii partes . . . summa adhibenda cura . . . ad res omnes cognoscendas, et percipiendas, quae ad illud maxime Regnum, Imperium prouinciam, in qua erit, spec-
fol. 14. tare uideantur. [Principis aula, consiliarii, administri, iudices; urbes, portus, fines, itinera, flumina, res frumentaria, mores ciuium; forma magistratuum, legum, iudiciorum; aerarium, vectiga-
fol. 15. lia et tributa; res militaris: exercitus, arces, res navalis etc.] Con-
fol. 15 v°. siderandum esse, quae bella ipse [princeps] gesserit, ac confecerit; quos coniunctos reges, et principes habere uoluerit; quae foedera fecerit, neglexerit, aut uiolarit: quorum partes susceperit. neque ignorandum esse, an fines imperij in bello propagarit; an multas ciuitates ui, aut obsidione ceperit . . . Coniunctiones uero, affi-

nitates, atque amicitiae principis, tum etiam quae sibi iura putat, minime debent esse obscura legato nostro . . .

. . . ad legati officium maxime pertinet . . ut mandata sui principis, summa fide, diligentia, attentione animi, uigilantia, exequatur, atque exhauriat. [Mandatum liberum et mandatum definitum.] Sed mandatorum bipertita item uidetur esse diuisio: sunt enim quaedam manifesta, ut bellum indicere, foedus sancire . . . quaedam uero occulta, quae ijs tantum, qui ea debeant exequi, nota uolumus esse . . . fol. 16. fol. 16 v°.

Sed iam legatorum negotia persequamur. quae profecto sunt de rebus uel sacris, uel profanis . . . profana uero negotia . . . haec praecipua sunt. de bello, et pace; de foedere, et societate; de conspiratione; de petendis auxilijs; de captiuis redimendis; de annona comparanda; de tuendis, aut propagandis finibus; de rebus denique ad utriusque principis ditionem, et regnum spectantibus. Item in legatorum negotijs continentur amicitiae, et beneuolentiae inter principes conseruatio: atque ea, quae fiunt officii causa; ut gratulatio uictoriae, nuptiarum, aut cuiuscunque rei, quae feliciter, et fortunate contigerit: significatio quoque doloris in aduersis rerum euentis; gratiarum demum actio, pro acceptis beneficijs . . . . fol. 17.

[De fide in mandatis principum servanda.] . . reuertamur ad relinquam partem. ea uero est, ut legatus noster persequatur omnes uias, quibus putabit ad id, quod ei mandatum fuerit, peruenire posse. [Debet mandata fideliter exequi, nisi] aliquid fortuito interuenit, quod mandati sui tempore princeps ignorauerit. [Debet] omni ea de re facere per litteras principem certiorem; atque ab eo mandata, mora aliqua interposita, iterum expectare. Si uero ob angustias temporis, res ipsa differri nullo pacto possit: equidem nescio an audeam affirmare, quod legato liceat, eo casu, praeterire mandata principis . . . periculosum, ancepsque nimis est, extra fines egredi mandatorum . . [Altera fidei pars est], ut legatus quae secreto princeps consilia . . . cum illo communicauit . . . tacita tanquam mysteria teneat. fol. 17 v°. fol. 18. fol. 18 v°. fol. 19 v°.

Sequitur, ut de legati officio in consultationibus et deliberationibus dicendum sit. [In omni consilio capiendo spectet] finem et quae ad finem facile perducunt. [Deliberandum, honesta ne sunt, an turpia; utilia, an inutilia.] fol. 20. fol. 20 v°.

[Quomodo legatus in negotiis debeat se gerere. - Difficultates et impedimenta negotii internoscenda; idoneum et opportunum tempus observandum: principi legatus non debet esse fol. 21. fol. 22.

molestus et importunus: non verba tantum principis, sed facta
fol. 22 v°. potius animadvertere debet]; semper debet principem sequi, ad quem est missus, siue ille iter faciat; siue sit in castris. [Mocenicus a latere Imp. Caroli V nunquam discessit.]

fol. 23. [Diligentia in rebus omnibus cognoscendis], ita tamen, ut non speculator potius, quam legatus uideatur . . . nihil igitur conquirat curiosius; nihil indaget de alio per speculatores; sed per homines nobiles, et ingenuos potius cognoscat, uelut per
fol. 23 v°. eum, qui sit a secretis secum missus . . . [Debet legatus de omni re principem suum certiorem facere; mittere litteras et nuncios; praesertim responsa principis atque postulata ipsius exponere debet ijsdem verbis.]

fol. 24. Nunc videamus, utrum munera accipere legatus possit . . .
fol. 24 v°. si honoris tantum causa dantur, accipienda. [Exempla ex historia graeca.] — Legatum uolumus maioris principis, ullo modo, cedere locum legato principis minoris; ac si hac de re forte ueniret in controuersiam, tueatur omnino iura, et priuilegia sui principis; et fugiat potius congressus alterius legati, quam illi unquam locum cedat . . . . hoc ego legato maxime cauendum puto, ne, cessione loci, aut aliqua alia re, in qua temere consentiret, sui
fol. 25. principis existimationem offenderet. Multi enim sunt, | qui antiquitate principatus, dignitate, insigni aliquo titulo, potestate, ditione, auctoritate contendunt: et propter hanc causam summo quidem studio euigilandum est legato, ut sui principis iura, ubicunque sit, inuiolata seruentur . . .

Officium quoque legati existimamus, rebus in omnibus seruare consuetudinem illius Aulae, in qua erit . . .

Quod reliquum est huius institutae tractationis spectat ad legati officium post reditum ad suum principem . . . Permagni . . .
fol. 25 v°. interest, renunciare legationem. [Renunciationes legatorum in
fol. 26. republica Veneta] . . legatum uolumus, in renunciatione legationis, ex animo uereque dicere quae sentiat; et quae sint optima, suoque principi utilissima, libere consulere . . .

Liber Secundus.

fol. 27—31. [Praefatio:] fingendus est nobis, hoc loco, legatus, tum optimarum artium studijs, atque omni liberali dignaque homini nobili instructus doctrina; tum etiam omnibus praeditus uirtutibus, atque ornamentis . . .

fol. 31. ### Quibus in primis artibus, ac doctrinis legatus debeat esse instructus. Cap. I.

fol. 31 v°. Principio . . . necessariam putamus esse scientiam sacrarum,

diuinarumque litterarum . . . Legatus religionem potissimum colat . . . nec sit prorsus ignarus iuris pontificii . . . fol. 33.

. . . dialectices cognitionem illi maxime necessariam esse statuimus. [Debet esse non ignarus philosophiae.] Primum autem physicorum legatum nolumus esse expertum . . . Sed in philosophorum scriptis perlegendis, id legato nostro maxime cauendum puto, ne a aurea, et christiana doctrina aliquo pacto unquam dissentiat; minime autem dissentietur, si Thomam, ut dixi, de rebus obscuris, et ambiguis consuluerit . . . [Debet] ea quoque cognoscere, quae in prima philosophia tractantur. [Scientiae mathematicae: Arithmetica (etiam tamquam instrumentum ad architecturam), Musica, Geometria, Astrologia] . . . philosophiam, quae in agendo uersatur, tripertito diuidebamus, ut una esset de uita, et moribus; altera de tuenda re familiari, tertia de ciuitatibus administrandis. [In omni parte huius philosophiae debet esse instructus, maxime autem in iure ciuili, cuius cognitio in negotiis agendis legato necessaria est.] In Pontificio quoque iure legatum oportet non mediocriter esse uersatum . . . Ac publica etiam iura, quae sunt cuiusque propria ciuitatis, atque imperij, legato nota esse debent.

[De eloquentia legatorum.] Multum operae ponendum est in linguis percipiendis. teneat autem primum perfecte italicam, latinam, atque graecam necesse est . . . enitendum esse putamus, multas ut externas linguas addiscat.

. . legato nostro non inutilem futuram poesim, necessariam historiam, geographiam, ac rei militaris disciplinam.

fol. 34. fol. 35 v°. fol. 37v°—38. fol. 39. fol. 40—42. fol. 42 v°. fol. 44—45v°. fol. 46. fol. 46—49. fol. 50—53.

Quibus praecipue uirtutibus, atque ornamentis legatum oporteat esse praeditum. Cap. II. fol. 55 v°.

[oportet, ut appetitus rationi pareat; praeterea] maxime eluceat oportet id quod gracce, τὸ πρέπον, latine autem decorum dicitur. [Summa probitas, summa integritas, et innocentia; iustitia; prudentia, „legati enim oculi atque aures principum existimantur“. Industriam in agendo, in conficiendo celeritatem adhibeat, aliquando artificium excogitet. Sagacitas. Oratio gravis, ornata, illustris. Fortitudo. Temperantia. In legato abesse debet ira et ambitio. Legatus modestia ornatus esse debet et liberalitate: „uolumus ipsum esse opibus affluentem, ut liberalitate uti maxime possit“. Formae dignitas. Humanitas.]

fol. 56 v°. fol. 57—66.

Petrus Aerodius [Pierre Ayrault].

De Legationibus.

I.

Petri Aerodii iudicis Quaestionum . . . **decretorum lib. VI.** Item liber singularis **de Origine et auctoritate Rerum Judicatarum** . . .

Parisiis, Apud Martinum Juvenem . . . 1573.

[In-8°. — Librum „de Origine . . .“ (26 pp.) sequuntur Libri Decretorum. Titulus XVI libri VI Decretorum est De Legationibus — pp. 701—709.]

[**P.** X $^{XVIII}/_{5}$ 165; **Br. M.** 497. a. 3.]

Tit. XVI. De Legationibus.

I. Legatorum hoc praecipuum munus, ne mandata egrediantur [Aelianus lib. V de varia hist.].

II. Hoc alterum, ut verborum et temporum rationem reddant [Cicero lib. II de inventione].

III—IV. Legatum praevaricari et privatim dissuadere id ad quod persuadendum missus est, proditio est [vita Thucididis, Plutarch. in Lucullo].

V. Subditis omnia iura familiaritatis et hospitii prohiberi cum Legatis [Aristid. in Panath., Demosth. de falsa Legatione]. — Legatus, mutato nomine, tentator et explorator est . . .

VI. Legatum ab eo ad quem missus est munera accipere, neque principis sui dignitatem, locum, auctoritatem conservare capitale esse [Xenoph. lib. VII Rer. Graec.; Demosth. Phil. III et falsa legat.; Val. Max. l. VI. c. III; Plutarch. in Pelopida].

VII. Legatos esse inviolabiles. Qui eos laeserit, hostibus dedi [Dion. Halic. lib. II; Liv. Dec. I. lib. 1, Dec. IV lib. 8, epit. Liv. lib. XV; Valer. Max. l. VI. c. 6]. — Legatorum in foederi-

bus faciendis, vel legibus pacis bellique dicendis sancta corpora iure gentium atque inviolata servantur, inquit Asconius. Et merito hoc ius apud omnes populos invaluit. [Exempla ex Graecorum et Romanorum historia.] Sed quid si legatus deliquerit apud hostes, an nunquam iure in eum animadverti potest? Est locus memorabilis apud Procopium libro I de bello Gothorum, ex caussa adulterii Legatum puniri et occidi posse. nam cum id Theodatus obiiceret Petro et aliis Legatis Justiniani Imperatoris, non recusant, quin ex ea causa in eos iure animadverti posset, sed falsum crimen esse dicunt quod obiiciebatur.

VIII. An sint legati qui mittuntur a subditis ad Principem et a Principe ad subditos [Quintil. declar. 366; Appian. de bello civili lib. I; Plutarch. in Gracch.; Cicero Philippica 5, 6, 7; Socrates l. 7. c. 23; Nicephor. l. 14. c. 7; Procop. l. 3 de bello Vandalicio]. — Certe legatum non videri, quo violato non est violatum ius gentium, neque publica deditio competit. Atqui hic non posse dici, ius gentium violatum esse. Si quod ius violatum est, violatum est ius civile Romanorum et contractum capitale crimen aut legis Corneliae, si privatus, aut Juliae maiestatis, si magistratus populi Rom. occisus est .... non puto ius gentium violatum. nam tribuni plebis et alii quidam magistratus erant sacrosancti: et tamen iis violatis non violatur ius gentium.

II.

Petri Aerodii Quaesitoris Andegavi **Rerum ab omni antiquitate iudicatarum Pandectae.** Parisiis, M. D. LXXXVIII. Apud Michaelem Sonnium ...
[In-fol°.— Titulus XV libri X est De Legationibus — ff. 445a—452a.]
[**P.** X $^{VI}/_{2}$ 114.]

2. ———. Parisiis, 1615 [In-fol°].
[**P.** X $^{VI}/_{4}$ 45.]

3. ———. Ab eodem auctore recognitae ... Mediolani, apud Jo. Bapt. Bidellium. M. DCXIX.
[In-8°. — Tit. de Legationibus: pp. 1540—1562.]
[**P.** X $^{XVIII}/_{5}$ 164.]

4. ———. Recognitae a Philippo Andrea Oldenburgero... Genevae, Typis & Sumptibus Samuelis De Tournes. M. DC. LXXVII.
[In-fol°. — Tit. de Legationibus: pp. 621—630.]
[**D.** IV C. 3; **P.** X $^{VI}/_{2}$ 130.]

Lib. X. Tit. XV. De Legationibus.

[Summarium.]

Cap. I. Non omnes legatos admittendos. Qui sunt, caute accipi, audiri, dimitti, deducique oportere. Qui minor se inter maiores interponit, quasi imperio quodam: utrosque laedere. Reges extraneos vix utiliter introduci.

Legatus hostium, mutato nomine, explorator est. Nihilominus quisquis sub hac praerogativa aut specie proficiscitur, admittendus audiendúsque est. Cur ita? quia qui illum arceret, tolleret quodammodo jus gentium, atque homines ex hominibus, ut apud Livium rectè ab Hannone dictum est. Nunquam enim via pacis, via amicitiae intercludi debet. Quid superbius, quid injustius Aequis, qui legatos Romanorum fadum jussere alloqui? Sed in recipiendis, audiendis, dimittendísve, magna cautio est adhibenda. Mittendi sunt obviam qui deducant, & qui hoc colore officii eos interim diligentissime observent. Extra urbem habendi sunt: atque in villa publica, non privata: denique, si iis Senatum dari oportet: ad urbem magis, quàm in urbe tutius, utiliúsque est. Videamus quo exemplo. Persei legatos non placuit Romam intromitti . . . Sed & cùm discedunt, dantur qui custodiant iter: ut Aulus Terentius Varro datus est Aetolis: Sp. Carvilius, Macedonibus, donec naves conscendissent. . . Veruntamen accidit nonnunquam ut utile sit, imò etiam necesse, omnimodò non admitti. Quid enim si nulla amicitiae spes est? si nisi de servitute, nisi de internecione agitur? si clade aliqua insigni, aut summa inimicorum opinione, fides civium vacillet? solus etiam aspectus vitandus est, nam eo multa conciliantur in hanc aut in illam partem, aut metus, aut fiducia inducitur. . . Neque hoc casu laeditur jus Gentium. Non enim violari, qui nec re, nec sermone accipit ullam injuriam. Cur legatio hostium non possit reiici aliquando, cùm reiici à sociis, ab amicis, à foederatis, belli quaedam denunciatio est? . . . rejecta est legatio Rhodiorum [quia] . . . Intempestivè (quod de Massiliensibus Paterculus scribit) principalium armorum arbitria captabant: quibus hi debent sese interponere, qui non parentes possunt coërcere. . . .

Cap. II. Privatim cum legato nihil licere.

Certè cum Legato nihil licet privatim: non hospitio suscipere, non familiariter cõlloqui, corruptionis, proditionísque vitandae causa. . . .

Cap. III. Legati cum primum advenerint, adire eos oportere magistratum. Missos ab eo, qui ius legationis non habeat, pro legatis non habere.

Legati sunt, quos ii decreverunt qui jus legationis habent, & qui cùm sint hujusmodi, ea gerunt, custodiunt quae sunt moris ac consuetudinis Legatorum. . . . . .

Cap. IV. Quae praestanda a legatis. In primis, ut domini maiestatem tueantur, eique ad quem missi sunt, non inserviant.

Legatus vice est Principis, vice Reipublicae. Itaque si quid pro majestate atque amplitudine dominorum, minùs splendidè, minùs honorificè fecerit: quia mandato id praesumitur fecisse, & falsum est: reus est

diminuti imperii... Quid Arsaces, Rex Parthorum? quòd Orobazus, quem Syllae legaverat, permisisset, ut colloquendo, Sylla honoratiore loco esset, affecit ultimo supplicio. Et laudatur Cato Uticensis, quòd in eo sermone quem unà haberet cum Scipione, ac Iuba: non tulit Regem medio loco esse, constituit in eo Scipionem, quanquam inimicum....

Cap. V. Legatorum praecipuum munus, ne mandata egrediantur.

Cap. VI. Hoc alterum, ut etiam verborum, temporumque rationem reddant.

Cap. VII. Legatum praevaricari et privatim dissuadere quod publice acceperit, summam proditionem esse. In crimine majestatis, in gentem, atque in aedes animadverti.

Cap. VIII. [Metrodorus Mithridatis Regis legatus ad Tigranum, Regem Armeniae.]

Cap. IX. Legatos munera accipere: Principisque sui locum atque auctoritatem non servare capitale esse.

Ut mulier quae à non marito accipit, impudicitiae: ita Legatus, proditionis, maléque obitae legationis notam ac suspicionem non effugit. Quinimò fides, constantiáque nusquam est, ubi cupiditas & avaritia versatur... Iam sanè ordinarium est nostris his Legatis qui mutuò Principibus adstant, uti eo hospitio & munificentia Principali, dum modum non excedant. Sed si bellum enascatur, ideóque Legati jubeantur primo quoque die discedere: eo casu abstinendum est à muneribus.

Cap. X. Legatos esse inviolabiles. Si quid in eos sit admissum, lui deditione. Si ea aliter fiat, speciem habere servitutis. Qui deduntur, cognitioni dedi, non supplicio. Agi ubi crimen contractum est, si reus sit in potestate. Si non sit: in domicilio. Delinquere etiam Principes.

Legatorum munus perquàm necessarium. Nam sine his nec foedera iniri possunt, nec belli leges, pacísque dici. Inimicitiae essent immortales, insidiae, caedes, incendia ubique essent. Praetereà, interdum media acie, atque in ipso ardore belli, Legati proficiscuntur. Itaque meritò sunt jure Gentium sacrosancti, meritò inviolabiles: & (ut Marianus ait) ab omni injuria hominum merito defensos, munitósque esse oportet. Quid igitur? si sint violati Legati, quae competit actio? Si civis pulsatus erit, actio injuriarum est: si magistratus, majestatis: si Legatus, bello, & jure Gentium agitur, inquit Fabius. Iure Gentium, id est (ut interpretor) solenni traditione, deditionéque eorum qui laeserint, pulsaverint, violarint. Nam quid tam naturale esse, quàm unius ob factum omnes non teneri? Itaque deditio justa satisfactio est, non solùm sententiâ Q. Murij, sed & omnium antiquorum. Laurentium Legati venerant expostulatum de Titi Tatij Regis amicorum & familiarum latrociniis. Romulus (cujus cum Tatio regnum consociatum erat) continuo censuit, dedendos qui expostulabantur. Tatius contra, saltem enim debere anteà Romae accusari, & ibi Laurentios deponere suas querelas eâ formulâ quâ actor rei forum sequitur. Nec movere, quod in agro Laviniensi deliquissent, nam ut ibi agi posset, debuisse

apprehendi, eo omisso: Laurentios jus retrahendi non habere. Porro, ita suos dedere hostibus, ita peregrinis: aut genus proditionis esse, aut servitutis, pati sic sibi ab aliis imperari. Et Tatius rectè quidem hucusque. Sed cùm accidisset ut neque hos tamen pateretur apud se accusari: atque eo ampliùs, cùm discederent Legati, violati essent à Sabinis: quo casu, secundâ missâ legatione quae bellum denunciabat si id impunè esset, sapienter & Romulo & Senatu placuissent, tum reapse dedi qui violassent, vinctósque tradi: tunc malè omnimodò Tatius, atque contra jus Gentium, qui sontes in itinere eripuit, & Legatos, qui id prohibebant, interfecit. An igitur, quia à Principe factum est, crimen dici non oportet: non sequitur. Tatius vertit in se poenam. Nam cùm longo intervallo Lavinium venisset, solennis sacrificij caussa: facto concursu, interfectus est à cognatis caesorum Legatorum. Ergo ex nova caede, non accusatio, novum judicium. Sanè qui cum Tatio violaverant Legatos, Romulus absentibus aqua & igni interdixit. Laurentes quoque, ne ocisi Tatij fraus publica videretur, Romulo dedidere parricidas. At qui ita sunt dediti, non praecisè poenae, sed cognitioni dantur. Itaque Romulus caussam amplissimè cognovit. Rei premebantur, quòd indemnatum, quòd jure Gentium non postulatum, quòd hospitem, quòd Regem hoc est, sacrosanctum occidissent. Sed praevaluit jus naturale, quo vis vi compensatur, praevaluit aequitas, qua justo dolori ignoscitur: jus Gentium denique, quo semel violato, alia etiam possunt violari. Placuit absolutio, inquit Dionysius Halicarnasseus.

Cap. XI. Odio violatorum legatorum, iura amitti possessionum.

Atqui bellum quod suscipitur propter violatum jus Gentium, non solùm justum est: sed & si jure aut legibus agatur, re & lite cadunt qui perfidi fuere in Legatos. . . .

Cap. XII. Ut legati sunt inviolabiles, ita Jus Gentium ab his violari non debere. An ex delicto animadverti possit in Legatum.

Vulgare est, tres filios M. Fabii Ambusti, missos à Senatu, populóque Romano ad Gallos, ne Clusinos oppugnarent: contra jus Gentium, cùm Legati essent, arma cepisse cum Hetruscis, & pugnantes adversus Gallos ducem eorum occidisse. Quid Galli? mittunt Romam Legatos, questum de injuria ista, postulatúmque ut, pro jure Gentium violato, Fabii dederentur. Senatui videbatur, jus postulari à Gallis, nam ut nihil liceret in Legatos, ita nihil hostile committi debere à Legatis. Sed quia in tantae nobilitatis viris ambitio obstabat, rem ad Populum rejecerunt, ne penes ipsos culpa esset si qua bello Gallico clades obveniret. Populus, tantùm abest qui dederet Fabios, ut eo ampliùs in sequentem annum eos creaverit Tribunos militum. Ergo hinc illud bellum Gallicum, quo, laesis Diis immortalibus, Roma, excepto Capitolio, capta, incensa, vastata est. At tandem à Camillo restituta, injustitiae memoria subiit, itaque statim Q. Fabio, ubi magistratu abiit, à C. Martio Tribunopl. dies dicta est, quòd Legatus, in Gallos, ad quos missus erat orator, contra Jus Gentium pugnasset. Mors eum judicio substraxit, adeò opportuna (inquit Livius) ut multi crederent voluntariam. Caeterùm si Legatus ex qua alia causa deliquerit, ut si adulterium commiserit, aut furtum,

aut homicidium, an judicio in eum agi possit: aut verò tandiu non accusari, quandiu in eo officio est: tractavimus abundè lib. 1. De ordine & forma publicorum judiciorum, quem linguâ Gallicâ scripsimus.

Cap. XIII. Jus Gentium violatum deditione absolvi.

Cap. XIV. Utcunque acceptio (dediti) non sit necessaria: ea tamen averti indignationem Deorum.

Cap. XV. An solo etiam verbo Legati violentur.

Quaeritur, utrùm re duntaxat Legati violentur, si pulsati, vulnerati, occisi sint: si quid passi sint obscoenum, ut urinam Tarentinorum: an verò etiam verbo. Certè de Genutio, Tribunopl. Plutarchus narrat, cùm Falisci ei injuriam dixissent, Romanos hoc solo bellum eis intulisse, & Cicero, pro lege Manilia: Legati (inquit) quòd erant appellati superbiùs Corinthum patres vestri, totius Graeciae lumen, extinctum esse voluerunt. Jus legationis verbo violatum persecuti sunt. Nam injuria quae fit Legato, fit Reip. quae plerunque magis contumeliâ laeditur, quàm internecione aut amissione exercitus.

Cap. XVI. Non idem ius esse comitum, quod Legatorum.

Legati à Xerxe venerunt in Graeciam cum Graeco interprete. Athenienses, Themistocle auctore, jussere hunc apprehendi, atque publico omnium decreto in eum morte animadverti, quòd ausus esset linguam Graecam subiicere, & accommodare imperio barbarorum. Neque ulli sunt qui notent eo facto violatum esse jus Gentium, nam sive Graecus natione esset: Athenienses jure animadvertisse: sive Persa, ratione fori. Porrò non eo jure esse comites, quo Legatos.

Cap. XVII. Falsum etiam nomen Legatorum, quodammodo sese inviolabile.

Cap. XVIII. An Legatus sit ei, ad quem missus est, duntaxat inviolabilis; an etiam omnibus. Iniuriam privatam neglectam a magistratu, hoc publicam effici.

An aliis etiam omnibus quàm ad quos missi sunt Legati, sint inviolabiles, quaestio est non negligenda. Nam est apud Livium, bello Punico secundo, Legatos Poenorum atque Macedonum interceptos à Fabio Maximo, postquàm navibus Romam devecti sunt, conditos esse in vincula: comites verò eorum sub hasta veniisse. . . Contrà: . . in communi omnium Graecorum consilio, hoc est, Amphictionum, damnatos Megarenses, alios morte, alios exilio, quòd Peloponensium Legatos ad eundem Apollinem Delphicum, dum iter facerent per agrum Megarensem, quidam ex iis spoliassent & occidissent: rem verò universam magistratus Megarenses publicè neglexissent. Quid dicemus? an causam religionis separari à prophana? & Deorum immortalium Legatos (qui specialiter apud Graecos, Theori dicebantur) ab Gentium, hominúmque? nam qui ad Deum mittitur, quocunque mitti: & religionis causam communem esse. Ergo Fregosio & Rinconeo, Legatis Francisci I. Principis nostri, ad Venetios, & ad Turcarum Imperatorem, occisis sub ditione Caroli V. non tam videtur jus Gentium violatum, quàm ruptas inducias, sicariis nec deditis, nec punitis suis legibus, itaque justam occasionem belli Carolum praestitisse.

Cap. XIX. In caussa et iure Legatorum, regulam, *Quod quisque iuris,* non valere.

Quod justum est, quandoque plus imitatione cognoscitur, quàm jure & legibus. Ut Ecce. Quis non aequissimum existimaret, violari à me tuos legatos, si in meis violaveras jus Gentium. Atqui licet Amilcar, Poenus, catenas injecisset Cornelio Asinae, Consuli: Hannoni Legato Romani fidem servavere. Et quanquam iidem Carthaginenses, ministro Asdrubale, L. Servium, L. Sitium, & L. Fabium, Legatos Romanorum, in mari violassent: attamen Legatos Carthaginensium Româ redeuntes, & à Boebia comprehensos, Scipio dimitti jussit. Non enim (inquit apud Polybium) tam inspici oportere, quid meruerint Carthaginenses, quàm quid deceat Romanos.

Cap. XX. Interfecto Legato statuam deberi.

Praemium Legatorum qui in legatione obiissent, fuit statua . . . Si in morbum incidissent, aut si in legatione decessissent: publico sumptu curabantur, sepeliebantur. . . Quod si quis morbo interiisset, ut Servius Sulpitius, missus ad M. Antonium: censebat P. Servius, statuae honorem non deberi. Cicero contrà, si morbum legatio attulit. . . .

Cap. XXI. Legatio an sit virile munus.

Nihil plus impedit legationem posse iniri à muliere, quàm eam obsidem dari. Itaque cùm Romae quaesitum est in Senatu, an Veturia & Volumnia cum aliis matronis ad Volscos, & ad Coriolanum jure legationis proficisci possent: . . Vicit tamen ea sententia, quâ matri & uxori, & omnibus matronis ire & obire legationem concessum est.

Cap. XXII. Quis quousque sit Legatus. Certe usque ad renunciationem inviolabilem videri.

. . . Jus enim legationis, non civi, sed externo esse comparatum. Itaque tandiu & legatum esse, & sacrosanctum, quandiu sit apud perduelles. Simul atque rediit, aut priusquàm proficiscatur, esse inter privatos. Nam si his etiam casibus pro Legato teneretur: eo violato, cui deditio fieret? an civis civi dederetur? Praetereà, quod jus violatum esset? Gentium, an civile? non Gentium: quia nihil commissum in hostem. Si itaque civile: certum est Legatum non appellari, quia (ut ex Livio diximus) Legatus, respectu extranei est, non civis: neque ejus intuitu qui misit, sed eorum ad quos missus, mandatusque est. . . Non puto jus Gentium violatum. Nam & Tribunip. & alii quidam magistratus, erant sacrosancti: & tamen iis violatis, non violabatur jus Gentium. . . .

Cap. XXIII. De Legatis partium et rebellium.

Cùm in Republica eò progressa dissensio est, ut arma emineant: quin eo etiam casu Legati sint valde necessarii, & quin inviolabiles debeant esse, nulla profectò dubitatio est. In libris Romanorum passim audimus legationes à Cinna ad Syllam, ad Marium: à Pompeio, ad Caesarem: ab Octavio, ad Antonium, & vice versa. Et hos etiam Legatos temerare (inquit Tacitus) violare est jus Gentium. . . Sed quod difficultatis in ea re incidit, plerunque est hoc genus, quod ultro mitti ad subditos, periculosum & ignominiosum existimabatur esse. . . Sed ubi quid necesse est, nihil turpe est. . . Phileas, Legatus Tarentinorum . . . virgis caesus de saxo dejectus est, nam neque hostium Legatus, neque sociorum erat, sed subditorum. . . .

Cap. XXIV. De Legatis Provincialium.

Legati item Provinciales, sive municipales, hoc sanè privilegium habent ut Reipublicae causa absint, proptereáque in eos actio interim non detur: & ut functi legatione, biennii vacationem vindicent: aliáque hujusmodi. Sed neque sunt inviolabiles . . . qui subditi mittuntur, sunt potiùs nuntii, quàm Legati.

Cap. XXV. Legatos sorte, an suffragio legi oportere. Urna mores non discerni. Boni imperii instrumentum, amici boni.

[Hic titulus de Legationibus impressus est etiam a Christophoro Besoldo in eius Specilegiis politico-iuridicis de Legatis: editio I Argentorati, 1624 — pp. 98—119; editio II Argentorati, 1641 — pp. 80—95.]

III.

L'ordre, formalité et instruction iudiciaire, dont les anciens Grecs et Romains ont usé ès accusations publiques . . . . conféré au stil et usage de nostre France. Divisée en quatre livres . . . Par **Pierre Ayrault,** lieutenant criminel au siège Présidial d'Angers.

Édition 3me revue, corrigée et augmentée. Paris, 1604 [in-4°].

[La Dédication est celle de la première édition; elle est de l'année 1587. — **B. N.** — Une autre édition: „Édition dernière. A. Lyon, chez Jean Caffin . . . MDCXLII", in-4°. — **P.** X XIX/4 122.]

[Dans ses Rerum Judicatarum Pandectae, tit. de Legationibus, cap. XII, P. Ayrault écrit: „Caeterum si Legatus ex qua alia causa" (non contra rempublicam) „deliquerit, ut si adulterium commiserit, aut furtum aut homicidium, an iudicio in eum agi possit: aut vero tandiu non accusari, quandiu in eo officio est: tractavimus abunde lib. I. De ordine et forma publicorum iudiciorum, quem lingua Gallica scripsimus". La question est traitée dans la partie IV. du livre I, §§ 12—19.]

Livre I. Article [Partie] IV. [Édit. 1642, pp. 54—62.]

§ 12. De l'Ambassadeur.

§ 13. Pour quoy l'Ambassadeur est inviolable.

. . . . l'Ambassadeur, qui est inviolable par un droict te tous Peuples et lequel pour une qualité publique en a trois concurrentes: l'une prise et extraite de ceux qui l'envoient: l'autre, de ceux vers lesquels il est envoyé: et le troisiesme, pour la qualité des negoces et affaires qu'il traitte.

§ 14. L'Ambassadeur represente son maistre.

. . . . Puisqui'l represente la personne du Prince, qui est sacrée, et dont le crime commis en son endroit, reçoit encore un autre nom plus spécial, sçavoir est, le sacrilège: comme si Dieu, et la Religion mesme, estoient blecez quand on le blece: il s'ensuit bien que tant que l'Ambassadeur est en ce rang là, il faut, non pour l'honneur de luy, mais de son Prince, dissimuler, et ne voir point les fautes qu'en son particulier il aurait faictes. Le punissant, vous puniriez aucunement le Prince en la personne de son Agent, lequel de son chef n'a toutesfois point delinqué: et où il l'auroit faict, *solutus est legibus,* et ne peut estre puny, traitté ny convenu par devant Juge quelconque, si ce n'est luy . . . .

§ 15. L'Ambassadeur c'est un honneste espion.

§ 16. Exemples confirmatifs de ce qui a esté dit de l'Ambassadeur.

§ 17. Espions pourquoy sont punissables.

§ 18. Deputez des provinces ne sont pas Ambassadeurs.

§ 19. Ce qu'il faut observer contre l'Ambassadeur en cas de delict.

§ 20. Des ostages.

Fr. La Mothe Le Vayer.

[Préface.] Au Sieur de Villier Hotman. *[Fol. 2 v°:]* C'est ceste mesme franchise qui vous pousse à recognoistre la vérité, en ce que vous ne rougissez aucunement d'avoir butiné les labeurs d'autruy, vieux, ce dites vous, et nouveaux. Combien que quant aux vieux, ils n'ont guarde de s'en plaindre, ny aucun pour eux. On recognoist assez que ce ne fut iamais votre intention de troubler leur repos. Vous les laissez dormir en paix, estimant que ce seroit une espèce d'impiété de les manier et feuilleter avec trop d'importunité. Vous vous estes donc du tout ietté sur les nouveaux . . *[fol 3 v°:]* en vostre epistre vous nommez certains autheurs qui ont traicté la matière des légations ausquels vous n'auez du tout point ou fort peu touché . . . Mais il y en a un, dont pour ce regard vous ne dites mot, duquel vous avez non seulement effleuré les escrits, mais si bien et si valeureusement ravagez, que ceux qui ont veu sa composition et la vostre, dient tout haut que s'il y a quelques perles ou pierreries *[fol. 4]* attachees à la robe de vostre brave Ambassadeur, elles sont de ce butin. Pour parler en termes plus intelligibles, on dit que si Monsieur Paschal, n'eut premierement escrit le Legatus en Latin, vous eussiez été muet en François . . . les trois parts de vostre ouurage, dont les quatre font le tout, sont de la composition de Monsieur Paschal, ie dis de son inuention, de son stile, de la longue & laborieuse recherche qu'il a fait de telles matières dans les monuments de l'antiquité. Ceux qui s'y cognoissent ont recogneu que c'est luy qui a le premier appliqué les façons de faire anciennes à l'vsage de nostre temps . . . . *[fol. 4 v°:]* Ce que vous mesme auez si bien recogneu, que c'est Monsieur Paschal tout seul que vous auez choisi parmi les autres pour vous approprier trop licencieusement ce qui est sien . . . *[fol. 5 v°:]* c'eust bien esté vostre plus court d'entreprendre a l'aide de vos amis la traduction du Legatus, non le butiner impitoyablement . . . Vous auez pensé que ce vous seroit bien plus d'honneur d'estre recogneu pour auteur d'vn liure . . . que d'en estre le traducteur . . . . *[fol. 6 v°:]* Vous dites que de siècle en siècle de main en main nous aprenons les uns des autres. Que peu d'es-

crivains en ont faict autrement : Mais aprendre quelque chose d'un homme et le butiner, sont choses fort differentes . . . aprendre n'est pas transcrire l'autrui, et en faire monstre en public comme du sien. Cela ne s'appele pas aprendre, mais trop hardiment prendre. Vous dites aussi que les modernes, que vous nommez, ont emprunté les uns des autres. Il se peut faire. Mais ceux là n'ont pas butiné les uns sur les autres à la Villhotmane . . . *[fol. 7 :]* Ce n'est donc pas de la façon que vous pratiquez qu'on se sert les vns des autres. *[fol. 8 :]* . . . Je m'en vais maintenant verifier de poinct en poinct ce que ie viens de dire, & entrerai *[fol. 8 v°:]* par vostre commencement, où vous dites ces mots, en la Pag. 1 . . . . [De page en page l'auteur critique le livre de Hotman, en indiquant sa similitude avec celui de Paschal.] *[Fol. 46 v°:]* Il y a plus de six vingt lieux transcrits du livre de M. Paschal. Et quant au reste il contient tant d'absurditez, que i'ai opinion que vous mesme serez bien aise de les corriger . . . C'est le jugement qu'en fit Monsieur Paschal lui mesme, dès la premiere fois qu'il vit vostre liure. Sur quoi il composa a l'instant cet Epigramme don ie vous fait part.

Dum temere scribis, describis, quae tua non sunt.
Hinc liber iste tuus, nec tamen usque tuus.
Scilicet exscriptus meus est, is quem mihi surpis.
Caetera quae blateras, res docet esse tuas.
Astu grassaris, qui nostris dum tua misces,
Hoc agis vt fiant vtraque tota tua.
Sis voti compos, per me tibi solus habeto
Stemmata stultitiae nequitiaeque tuae.

Hermann Kirchner.

Hermanni | **Kirchneri** | J. U. D. Orat. | ac P. C. Caesarei Hi|storiarum & Antiquit. Professoris | in illustri Academia | Cattûm | **Legatus.** — | *Cunctis tum in Juris-prudentiae,* | *politicarumque artium studiis, tum in* | *reip. administratione versantibus lectu scitus* | *& scitu necessarius.* | . . . | Lichae | Excudebat Guolph gangus Kezeliůs. | M. D. C. IIII.

[8° (Ff. 4 = Titulus et Epistola Dedicatoria) + pp. 610 + (ff. 11 = Index).]

[**P.** X $^{XXI}/_{6}$ 142; **M. HB.** 1) Pol. g. 466^{i}, 2) Pol. g. 557 (1); **Oxf. B.** K. 2. Art. Seld.; **Bonn** J. r. 193.]

2.

Hermanni Kirchneri | J. U. D. Orat. ac | P. C. Caesarei, Historia|rum & Antiquitatum atque Eloquen|tiae Professoris in Academia | Marpurgensi, | **Legatus** | Editione altera | *emendatus, & plurimum auctus.* | Cunctis tum in Juris|prudentiae . . . . ne|cessarius. | *Gratia & Privilegio Caes. Majest.* | Marpurgi | Excudebat Guolphgangus Kezelius. | M. DC. X.

[8°. Pp. 620 (p. 3—7 = Epist. dedic.) + (pp. 33 = Index et corrigenda).]

[**D.** Alex. 1654; **P.**]

3.

Hermanni Kirchneri, J. U. Doctoris, **Legatus: eiusque Jura, Dignitas & Officium,** Duobus

libris explicata. | Marpurgi, | Typis Pauli Egenolphi, Typogr. Acad. | CIↃ Ↄ CXIV.

[4° (ff. 4 = Dedicatio nova Hassiae Nobilitati an. 1613 et Epistola prior dedicatoria an. 1603) + pp. 317 + Index.]

[**P.** X $^{VII}/_{5}$ 147 (3); **B. N.** Inv.* E 618; **Br. M.** 1127. h. 9.]

[Epistola Dedicatoria *Hassiae Nobilitati*] . . . Non itaque potui quin hunc meum Legatum, quem abhinc quinquennio, ex publico Academiae suggestu, cum Vergilianas lectiones explicarem, magno cum applausu nobilissimae pubis . . . docui, sub vestrae Strenuitatis praesidio . . . in reip. literariae lucem emitterem . . . . Kalend. Martiis [1609] . . . Herm. Kirchnerus D.

[Dedicatio nova *Hassiae Nobilitati* in edit. III] Decennium amplius est, generosi et nobilissimi Equites cum primum hic meus literarius Legatus sub amplissimi vestri nominis ala emissus fuerit . . . itque reditque nunc tertium, semper sui abundantior et locupletior. Nova autem forma et cultu denuo inductum, nova etiam commendatione exornandum esse duxi . . . Dab. Marb. An. 1613. 16 Quintil.

Liber Primus.

Caput I.

Quid Legatus, & quibus nominibus idem. [nn. 24.]

Legationis & legati definitio.

5. Legatio appellatur mandatum, quod est de negotio publico, & jure publico, ab aliquo publicae rei potente datum, quod qui suscipit Legatus appellatur, qui recte definitur mandatarius, publico negotio conficiendo solenniter missus ab eo, qui potestatem legandi habet . . .

Nuncius.

7. Differt a Nuncio, tum quod hic sine Solennibus . . . tum quod privatim de rebus privatis veniat: denique ab illis, qui Legati mittendi jus non habent, venit nullius missu, a se quandeque ipse . . .

Orator.

9. Sed quid Orator? . . . 11. Budaeus autem Oratorem a Legato differre contendit . . . Quod doctissimo Gentili jure displicet, *de leg. l. 1. c. 2.* Repugnat enim auctorum veterum usus qui indifferenter modo Legatum, modo Oratorem dicunt. 12. Hodierno autem politici sermonis & sensus usu Oratorem non quemvis, sed maximum maximorum Regum & Rerumpublicarum Legatum vulgo nuncupamus. [Talis Imperatoris Legatus ad Portam.] Ita & Venetorum Legatum ad Caesarem, ad Pontificem & aliorum ad alios eodem nomine legimus . . . qui etsi

ipse orationis habendae munere non perfungatur, sed per alium loquatur, nihilominus tamen Orator dicitur, quod Legationis totius caput & πρόσωπον sit . . .

13. Interpretes autem ut maxime cum Tullio accipiamus eos, qui ferunt & referunt mandata, latiore tamen significatu & officio, quam legatos intelligimus, cum id nominis obtineat quicunque mandata & verba & sententias nostras aliis interpretatur, sine solenni missionis, sine jure legationis. Ille hodie Oratori ac Legato linguae interpretandae gratia apud exteros additur: ita & olim in eodem negotio . . . Interpretes

15. Cum inter Deos & homines . . . legationis jus nullum esse potest . . ., nullo itaque modo consistere illorum partitio poterit, qui legationem duplicem faciunt, aliam coelestem, vel sacram, aliam humanam: Brunus, *de leg. lib., c. 4,* Gentilis, *de leg., lib. I. c. 3* . . . 16. Nec illi Legationis jure legati erunt, qui sciscitatum oracula . . . proficiscebantur. 17. Neque Apostoli jure gentium appellandi Legati . . . Neque Angeli proprie Legati . . . Nuncii & interpretes sunt . . . Legatio sacra, l. humana.

18. At quorsum Deputatos, ut vulgo appellant, deferes? Ad Legatorum classem? Ad Jus Gentium? Minime gentium. At negotio publico conficiendo multoties mittuntur Comissarii qui appellantur, publicae rei gratia missi. Sed non illico legati. Quid vero defuit? Non solenniter missi sunt: neque missi sunt ab eo, qui jus mittendi eo, quò missi sunt, habet. Deputati.

19. Germanorum politici, cum intellexerint, esse differentiam inter Legatos & Ablegatos sive Selectos & Deputatos, Legatos proprie apellant die Geſandten: Ablegatos & Selectos, Abgeſandten: a Latinis vestigiis ducto exemplo . . . aliud esse legare aliquem, aliud ablegare: hoc potestatis publicae, de negotiis publicis: illud mandati privati . . . [20. In comitiis Imperialibus Hispaniarum regis legato titulus inscriptus erat Geſandter,] aliis vero Imperii Principibus Fürſtliche, Churfürſtliche Abgeſandten. Quandoquidem omnium Principum & Statuum in Imperialibus comitiis, non ut legati sunt, sed Deputati & Selecti, quos passim Nuncios appellat Aurea Bulla *tit. 1 & 2* . . . . Legati & Ablegati.

21. Graecis nunc κήρυκας, nunc ἀγγέλους, nunc πρεσβύτας appellatos constat. Κήρυκα vertunt vulgo Praeconem, quem alii Caduceatorem . . . Praecones. Caduceatores.

24. Sed & Apocrisiarios vulgo huc referunt. Brunus, *d. lib., c. 4.* Quid id nominis? ἀπὸ τοῦ ἀποκρίνεσθαι, a respondendo Apocrisiarii.

dicti, quod in consiliis & Synodis nomine Pontificum, & Episcoporum sententiam dicerent, ut perspicuum est ex *c. convenientib. 1. q. 7.* & ex *c. significasti, de Elect.,* verum illi responsores quidem, ut Lancelottus loquitur *in not. ad d. c. significasti* habendi, Legatis autem nequaquam aggregandi.

Caput II.

Quot Legatorum genera? [nn. 41.]

Duo genera legatorum.

2. Negotiorum autem illa diversitas [sc. negotia pacis et negotia belli] duo nobis Legatorum ex objecto genera parit. Unum eorum qui togae negotia, alterum qui Martis conficiunt.

Legationes Martis.

3. . . Hi belli tum indicundi, tum ictis foederibus finiendi, tum rei armis ablatae repetundae gratiae exibant, Fecialesque speciali appellatione nuncupabantur.

Legationes togatae:

4. Togatae missiones de rebus esse plurimis possunt, quae tamen ad haec duo summa genera revocari posse videntur: ut sint aut negotii aut honoris gratia

1) Negotii gratia.

susceptae . . . 5. [Negotii gratia:] Ut cum avitae amicitiae inter Principes & regna renovantur: cum novae affinitates & Nuptiae inter Reges & Imperia conciliantur: cum societates & fraternae successiones in mutuas haereditates instituuntur: cum auxilia & suppetiae adversus potentiorum aliquem petuntur: cum finium & tuendorum & propagandorum rationes ineuntur: cum quae ad annonam Reipublicae comparandam, ad caritatem specierum tollendam, denique de rebus omnibus ad utilitatem communem tendentibus deliberationes & consilia habentur.

2) Honoris gratia.

6. Honoris gratia legationes suscipiuntur, quae honorificam tantum praesentiam & officium exhibent illi, ad quem mittuntur. Ut cum gratulatum de victoriis, de novis nuptiis, de novis conjugum puerperiis, deque aliis fortunae melioris eventibus mittūntur . . .

Officiosa legatio.

7. Appellant alii has legationes officiosas, quod officii gratia fiant. At aliud officii videtur esse, aliud honoris. Hoc spontaneum est, ...

Mos hodiernus.

illud voluntatis coactae . . . 9. Utraque legationis species & honoris & officii ergo hodierno more & amore receptissima. Honoris ergo ad Regem Angliae & Scotiae Jacobum VI inaugurandum hoc mense Julio undiquaque legationes amplissimae a Regibus & Principibus emittuntur: Quis vero eas legationes officii ergo ad Imperatorem, ac Pontificem, quae quotidie fere proficiscuntur, non videt? 10. . . . At horum legationes propria legationis definitione non capiuntur. Ut neque illa provincialium, de quibus legum tituli, *ff. & eod. de legat.,* quae hoc nostri Le-

gati titulo non veniunt, qui jure Gentium emissus, illum adit, quem officii & alicuius juris causa adisse non tenetur . . . .

15. Sed haec de distinctione Legatorum, quae ex objecta materia, quam tractant, perita est, sufficiant: Aliam ex efficiente causa sumere possis, ut alium Principis: alium Reipublicae Legatum dicas . . . . 16. Principes autem & Respublicae ut multum inter se differunt, ordine, dignitate & honore: ita & Legati singulorum. Legationes autem jure nihil differunt: perinde enim Legati Reipublicae habentur Legati, ac Principum.

Alia divisio ex causa efficiente.

Legati principis.

Legati reipublicae.

17. Vulgo distinguunt Legatos hoc modo, ut alios Temporarios, alios Residentes appellent. Temporarios illos qui ad tempus aliquod emittuntur, non quidem certis aut mensibus aut annis, sed expediti negotii termino definitum . . 18. Residentes qui ex anno in annos, ex lustro in lustra, donec nulla fiat revocatio, resident, non ad unius expediti negotii tempus, sed ad voluntatem mittentis, ad omnium rerum, quae in alieno Principatu & Republica accidunt, curiositatem. 19. Verum hos legatorum in classe propria censere non possumus, cum non tam negotii, quam ut vocant, relationis gratia missi, neque legati potius quam speculatores, neque legationis Jure, sed ex pacto singulari utriusque partis missi, variis ex causis, ut sint nonnunquam foederis inter potentes tanquam obsides. Quo genere habeo Residentes illos Galliae & Angliae Regum ad portam Turcicam . . . Aut majoris fiduciae ergò utrinque collocantur. Ita Regis Galliae Residentem in Dania conspexi virum, natu admodum grandem, qui plurimos annos ibidem degerat, lare & penatibus Haffniae fixis. Aut officii ergò potentioris aulam sequuntur: uti Ducum Italiae Residentes & aliorum in aula Imperatoria visuntur. 20. Illud vero cum iure legationis fieri nequeat, ut quispiam diutius in alterius provincia resideat, quemadmodum Honorius & Arcadius ad Anthemium praefectum praet. rescripserunt, *l. 4 C. de commerc. & mercat.* 21. ex pacto singulari missos esse Residentes oportet, cujus gratia resideant & in alterius provincia quasi Legati vivant.

Legati temporarii & Residentes.

22. Hodie agentes rectius vocamus quales Regis Galliae in regno Angliae & alibi aliorum. Quorum hoc munus praecipuum, ut si quid eveniat, quod illorum, a quibus missi sunt, intersit, tum ad suos referant, tum pro suis intercedendo agant. At illi longe diversi, ne quis forte eos unius generis existimet, ab illis, de quibus in *C. tit. de Agentibus in rebus.*

Agentes.

[26—30. Libera legatio.] 31. Dicuntur vero etiam qui pro-

Legatio libera.

Legati liberi. prie Legati sunt, alii Liberi, qui libera standi & agendi, nulla certa praescripta formula, potestatem habent, agendi inquam quodcunque e re illius causae, quae demandata est, videbitur . . . 33. Qui legandi modus etiam hodie non est infrequens . . . .

Legati formularii. 35. His opponuntur illi, qui finita & certa mandata tanquam scopos & metas praefixas ante oculos habent, quos Formularios appellant, a forma certa & instructione, ut vulgo nominant . . . .

Legati pontificii. 36. Quod vero ad illos attinet, qui jure Pontificio vocantur Legati a latere, Legati nati, Legati missi, *c. 1 de offic. leg. in Sexto,* illi huc non pertinent . . . [illorum] omnis potestas in commissis provinciis non ex jure Gentium, ut nostri, sed ex diplomate Pontificio recipit legem . . . . 38. Possunt tamen illi etiam ad functionem Legati nostri adhiberi & vere Legati fieri, si solenniter & juste mittantur. An vero Pontifex mittere possit, ut Pontifex & Ecclesiastica persona, capite sequenti videbimus . . . [39—41. Legatus proconsulis & Legatus Caesaris huius loci non sunt.]

Caput III.

Quis mittere possit Legatum? [nn. 96.]

Summa potestas imperandi. 2. Legatorum ergo missiones concessae duntaxat illis, qui Imperiorum potestatem habent. Nolim autem magistratus omnes intelligas . . . Summum magistratum puta, qui publicam imperandi prohibendique potestatem habet . . . qui unus ex sese, non ex alterius nutu & potestate dependet, qui nulli alii subjectus nulli obnoxius superiori, qui impedire illud possit . . . 8. Soli autem illi Reges & populi, Roma praedominante, legationem mittere poterant, qui populum Romanum non agnoscebant, *l. 17 ff. de legationibus.* Quales erant Persae & Parthi, Mithrydates, Carthaginienses & similes . . .

Principes Germaniae an mittere possint? 10. Quid autem de Principibus Germaniae nostrae dicemus, quos in praefectorum & praesidum antiquorum locum & iura successisse doctores scribunt: Henning, *cons. 1,* Wesembec., *cons. 46 n. 2* . . . 11. At longe aliam rationem Principum Germaniae esse, qui liberrimi Principes . . . habentur, nemini incompertum est. Germaniae constitutio hoc fert, ut quisque Principum in suo principatu idem possit, quod Imperator in toto . . . 13. Non minus itaque Principum Germaniae quisque ex suo principatu, in quo plenitudinem potestatis, ut loquuntur, habet, emittere Legatos ad alium Principem potest de negotiis, quae

ad principatum proprium spectant, quam quispiam aliorum Regum de regni rebus . . . 19. Nec enim de totius imperii rebus, aut tanquam ex imperio toto emittere quisquam Principum potest; illud enim solius Imperatoris est . . . 21. At nemo prohibetur de suis negotiis ex suo principatu, velut e libero regno, quocunque velit mittere, modo contra Imperii salutem & commodum (quod nunquam non praesumendum) nihil committatur . . . 26. In Germania vero non solum Principes, qui sunt Archiduces, Duces . . . . sed et his inferiores Comites illi, qui immediate, ut loquuntur, ab imperio Regalia & ius superioritatis habent, mittere Legatum de publicis suis negotiis queunt, ad Principes & Comites alios & ad quosvis Status. Sichard., *cons. 8 n. 51* . . . . 27. Idem iudicandum de Civitatibus, quae appellantur liberae . . .

Comites.

Civitates liberae.

30. Quid de Ecclesiasticis? . . legationis jus, quod ex jure Gentium ac seculi est, & potestatem imperii obtinenti competit, habere omnino nequeunt, *c. cum ad verum, dist. 96.* Verum cum hodie in Imperio Archiepiscopi Abbatesque nonnulli . . . . etiam Principes seculares simul habeantur, & omnia jura secularia usurpent . . . . constitutione imperii hoc ita ferente, legationis mittendae jura pariter habent . . .

Ecclesiastici.

37. Quid vero foemina? [Regulariter non habet ius mittendi legatos.] 38. Moribus autem Gynaecocratiae, ubi summam potestatem mulier tenet, legationis jus mittendae simul habet . . . 41. [Etiam nuptae possunt Legatos mittere, si] ex Gynaecocratiae consuetudine his legibus viro nubunt, ut penes ipsas majestatis & Imperii jura, non penes maritum, maneant . . .

Foeminae.

[46. Pupilli & minores. 49. Pro impuberibus mittunt tutores illique quibus regni cura & administratio commendata. 51. Interregnum. 55. Academiae privilegiatae ius mittendi non habent. 56. Nec collegia & societates Hansaticae. 57. Ordines, quorum magister princeps imperii, mittere possunt, 58. alii secus.]

Minores. Interregnum. Academiae. Societates Hansaticae. Ordines.

59. Sed quid illi, qui Rebelles vocantur . . . Non iniuria prohibentur, cum principi in subditos suos, non secus, ac in fugitivum servum domino, jus salvum perpetuo maneat & auctoritas . . . 68. Nec vero, etsi nonnunquam fides data ejusmodi hominibus missis sit, promissusque salvus, ut appellant, conductus, legationis protectione, securitatem habere possunt . . . 71. Nec vero rebelles & factiosi in hostium numero & jure habendi, & ut cum illis Gentium jus percolamus, legationemque exerceamus . . .

Rebelles.

Praedones. 75. At neque cum praedonum latronumque manipulis jura belli communicantur . . . 76. Hotmannum merito arguit Gentilis tamen quod jus gentium cum praedonibus & fugitivis esse
Pyratae. scripserit . . . 79. Huc pertinent pyratae . . . grassatores, quos
Proscripti. Freybeutter appellant . . . 80. Quid vero proscripti, quos bannitos nuncupant? Cum omnia privilegia & jura dignitatum regaliaque amittant, *l. 15 qui reus ff. de publ. jud.* Gaill, *l. 1. obs. 1. num. 38* . . . adversus exteros autem legationis mittendae
Haeretici. jus gentium jure servant . . . 84. Sic de haereticorum Legatis sententia severa conciliorum est, non recipiendis. Sed quid conscientiae & fidei causa, quae solius Dei est, hoc, quod seculi & gentium est, jus labefactet & infringat? . . . 89. Qui ex majestatis jure legationis mittendae ius habet, ille potest Jure Gentium ad Gentes orbis terrarum mittere, nihil omnino religionis diversitate prohibente. Missio enim, quae Jure Gentium fit, spectat & considerat homines ex Gentium jure, qua homines tantum nobiscum sunt, non ex jure & more ullo regionis aut religionis. Pacis jura diversitate religionis non tolluntur: multo minus legationis mutuae commercia fidei contrarietate abolentur . . .

Caput IV.

Qui & quibus mittendi? [nn. 273.]

Pulcherrimus eligendus. 4. Sed quemnam eligendum in primis putabimus? Omnium certe, quem habere poterimus, pulcherrimum . . 7. Verum pul-
Pulchritudo duplex. chritudo illa duplex est: Alia corporis; alia animi.
Pulchritudo interna. [9. Interna pulchritudo — eruditio & scientia. 11—14. Perfectus legatus, qualem voluit Oct. Magius, non potest haberi.] 16. Ex mediocribus itaque optimus & pulcherrimus nobis creandus . . . At quis ille? Dicam uno verbo, quem quaeramus:
Politicus esto. politicus esto, partem enim & quidem praecipuam politices esse legationem docet in Polit. Plato. 17. At quis Politicus? Illene, quem hodie vulgo nobis laudant, quem digito demonstrant, aulicis moribus imbutum & artibus callidis, qui . . . Principum gratiam venari, hominum favores aucupari: qui cum omnibus ludere, bibere . . . & in communis vitae scena, quam vis, ut dicunt, personam apte, h. e. simulate, ut ipsi interpretantur, agere norit . . . 18. At eo habitu plerique videri politici hodie volunt: Eamque viri politici faciem peregrinatores nostri Italici ac Gallici vulgo referunt. Sed o longissime a verae politicae

via ac ratione peregrinatos! Non enim illae artes, non illi mores sunt . . . 19. Quae vero sunt? Reipublicae, tum pacis, tum belli tempore bene gubernandae prudentia, morum & legum civilium jurisque publici gentium locorumque variorum cognitio: cum omnibus & singulis, domi forisque hominibus pacem, fidem, amicitiam, societatem, foedera, benevolentiam & jungendi & conservandi, virtutisque colendae scientia ac studium . . .

Scientia legatorum.

21. Magius vult suum Legatum omnibus Philosophiae partibus instructum, Mathematicisque scientiis imbutum, vult Astronomum & Geometram, vult etiam Musicum . . . sufficiat Legato nostro illas artes majori studio persequi, quae ad legationis operam suscipiendam ante omnia opus . . . 26. Moralem & civilem Philosophum exacte desidero. Imprimis vero Legatum velim esse historiarum, tum veterum, tum recentiorum gnarum. Videor dixisse omnia, cum historiarum studium nominarim. Quid enim erit, quod non inde peti poterit? . . . 29. Hinc & publici juris peritiam, quae nullibi rectius nunc indaganda, quam in historicis documentis, percipiet, cujus ignarum esse Legatum omnino nolim, cum Legationum potissimae causae in publici juris capitibus consistant, de foederibus, de jure belli, de regnorum jure, de dominationis jure, & similibus, quorum gratia legationes frequentantur, quarum rerum uberior tractatio ex Jurisconsultorum & politicorum voluminibus accersenda . . . 30. Attamen & Jurisconsultorum libri, qui privati juris cognitionem continent, quod plurimum juri publico expediant, illudque tanquam manu dextera adjuvent, non sunt . . . legato negligendi . . . 31. Eos etiam huc admissos velim, qui etsi neque Latinis, neque Graecis literis imbuti sint, communi tamen sensu . . . prae aliis polleant, remque & negotium, cujus gratia legatio instituenda, non lectione historica, aut acquisita studiis scientia, sed usu & experientia . . . cognitum habeant. Quo genere multi olim fuerunt, & etiamnum in nobilitatis ordine sunt. [32. Talis erat Cominaeus.] 41. . . . pro cujusque negotii momento idoneus Legatus eligatur . . . . 42. Non omnes ad omnia, sed certi ad certa vel meliores vel deteriores inveniuntur. 43. Veteres ob eam causam theologos aliquoties missos ex Ecclesiaticis historiis cognoscimus . . . cum de negotiis Ecclesiae agendum esset. Ad negotia vero, quae non nisi a legum peritis pertractari queuunt, non alius, quam Jurisconsultus, mittendus.

Historiae.

Jus publicum.

Jus privatum.

Usus & Experientia.

Idoneus eligatur.

[45. Prudentia legatorum primaria pulchritudinis gemma. 47. Prudentiae mater & adjutrix est experientia, quam senes

Prudentia.

Aetas. comprobatam sibi habere possunt.] 55. Quadragenarium enim non video cur non saepenumero praeferre aliis possimus . . . 56. Neque minorem annis triginta cur negligamus, ratio est, si caetera senilis prudentiae & gravitatis instrumenta non deerunt. [57. Talis Herm. Vultejus JC. in Dania legatus. 60. Turcarum princeps in contumeliam sibi fieri interpretatus est, cum ex Gallia imberbes mitterentur.] 71. Caeterum prudentiam illam comitabitur virtutum reliquarum coroha, fides, temperantia & fortitudo, veritas, integritas, de quibus singulis . . . infra suo loco Eloquentia. disseremus uberius . . . [72—86. Eloquentia alterum pulchritudinis ornamentum ac instrumentum legati.]

Pulchritudo externa. 87. Nunc ab interna animi pulchritudine ad externam corporis transeamus. [91. Pulchritudinem non muliebrem,] sed alteram illam virilem quae in dignitate posita est, quaerimus. [93—100. Statura. Nani non eligendi, neque cyclopes; 101. neque ventriosi gastrodes, 104. neque phtysici, 105. stigmate naturae notati, 109. cicatricosi, 113. unoculi, 114. caeci, 117. surdi & surdastri, 118. claudi, 124. mutilati] 125. In Legati siquidem persona Regis & Principis majestas qui misit hominem agnosci & representari peregrinis videtur. Quocirca regalem prae se ferat Temperamentum. dignitatem ac decorem . . . . 129. Sed non tam color & oris externus aspectus cum vulgo isto quam amabilitas, ac totius corporis crasis & temperamentum . . . considerandum . . . .

Ornamenta extra hominem posita. 140. Verum etiam extra hominem posita quaedam ornamenta sunt, quae electores non solum Legatorum . . . intueri solent. At illa in duplici discrimine habentur, Generis & fortu- Nobilitas. nae . . . 153. . . claritudo, quae a literis & eruditione provenit, generis nobilitati, omnium consensu, aequiparatur . . . 163 non excludimus ilios, qui in suis rebuspublicis & civitatibus quisque Infami. suo loco & officio sunt honesto . . . 171 Procul omnes, qui Hebraei. vel facti vel juris infamia gravantur . . . 172 Quive servi & mancipia, procul Haebraei, quibus in Christiana civitate janua honoris dignitatumque ingressus denegatus, *ult. C. de Judaeis.* 173. At civilis, inquis, altera de dignitatibus prohibitio est: legationis vero aditus jure gentium patescit omnibus. Erras, neque rem recte percipis. Legationis jus, quo ad Legatos in nationes exteras mittendos, gentium est. At ipsa Legatorum mittendorum electio ad jus civile recidit . . . Etsi itaque Judaeum olim a Persarum rege missum ad Carolum nostrum Magnum testentur annales veterum, *Fuld. Annal. sub ann. 802,* illud tamen Christianorum civitati nihil praejudicii parit, [quia ibi] Ju-

daeis ad civilia munera & honores quosvis accessus patet . . . 174. Idem de haereticis ac schismaticis iudicabis . . . 175. Non itaque inter se pugnant, haereticum posse legationem mittere, ut omnes alii possunt, qui jus Imperii absolutum habent, & haereticum non posse in legatione mitti, vel Legatum esse, ut omnes non possunt, qui a dignitatibus Reipublicae arcentur. 176. Haereticos autem illos intelligere oportet, qui in toto Imperio, & ab Imperio pro haereticis publice declarati sunt, ut olim Manichaei, *t. tit. C. de haeret. & Man.* . . 177. non vero quos Pontifex . . . haereticos esse clamitat & condemnat, *l. 6. l. 8 & seq. d. tit.* 178. Ideoque summa injuria infertur hodie illis qui a Catholicis, ut appellari volunt, secessionem fecerunt, quod pro haereticis illos habeant diffamentque. Nondum enim ab Imperio Protestantes condemnati, nondum reprobati, imo vero approbati . . . . Haereticí. Protestantes.

180. Sed satis, ut opinor, de generis ornamento dictum: Videamus & alterum . . . Fortunae illud diximus esse: Hîc facultates, opes & divitiae sub censum adducuntur . . . 183. Si quod vero negotium est, quod nervo pecuniario indigeat, legationis certe est . . . 184. . . . ad Legati dignitatem & majorem, tum domi, tum foris retinendam auctoritatem rei familiaris amplitudo facit . . . [190. Pauper facilius praesumitur] silentii fidem prostituere, arcana sui Principis venundare . . . 191. Minor etiam metus de illo est, ne quicquam contra juramenti religionem foris committat, qui lares, penates, domumque & familiam locupletem, magnasque divitias, tanquam obsides apud se reliquit . . . . Fortunae ornamenta

195. Sed ne plura de fortunae ornamentis, ad alia duo, antequam capiti huic finem imponamus, nobis contemplanda accedamus. Quaestionem enim de foeminis hoc loco movent, & sunt qui contendant illam etiam jure mitti posse. Mihi vero illorum sententia non satis facit. Quid ita, inquis? 196. An non foeminam etiam mittere posse, quod longe majus, supra docuisti, cur ergo mitti eandem posse non concedes? 197. Diversa jura & rationes mittentis atque ejus sunt, qui mittitur. Mittens legationis jus, quod ex gentium jure est, jure Imperii & potestatis suae habet . . . 108. Quod enim ad omnes, quos velit, populos emittat, & quod emissi tuti & inviolabiles apud omnes habeantur, illud est ex jure gentium, quod populi inter se ita constituerunt, usu & communi consuetudine frequentatum. At quod hic vel ille in eorum numero sint, qui jus illud gentium habent, quod liberrimo nutu & mandato mittere possint, hoc ex jure quisque sui Imperii habent . . . 200. Mittens a nemine dependet, sed Foeminae an mittendae?

pro arbitrio omnia agit & neminem in eo jure agnoscit superiorem, qui prohibere ipsum possit. Mittendus pendet totus ex electione & nutu mittentis . . . 202. Missio enim ipsa, quam jure Imperii mittens habet, juris est gentium: at mittendorum electio, etsi in arbitrio & voluntate mittentis, civilis tamen legis est, institui debet secundum cujusque civitatis, in qua habetur electio, mores, disciplinam, leges & statuta, *l. 4 § 1 ff. de legat.* 203. Verbi gratia: [exemplum de Judaeo non mittendo]. 205. Eodem modo de foemina disputandum: foeminam iure Imperii, quatenus illud teneat, legationem mittere posse, hoc est, posse potestatis plenitudine facere illud, quod juris gentium est. 206. At non eandem posse mitti legationem administratum, hoc est, non posse facere illud, quod jure civili, ob honestatem & pudorem naturalem prohibetur. 207. Foeminam autem inter viros versari pudor naturalis non patitur, asserit Imperator *l. 14 C. de contrah. & com. stipul.,* multo minus vero vagari, peregrinari, & inter exteros obambulare . . . . 215. ipsa natura foeminae legationis functioni plane contraria: Ubi consilium? ubi prudentia? . . . 217. Metus & imbecillitas cum fortitudine legatorum non consistit. 218. Miror autem viros esse qui muliebris legationis defensionem suscipiant . . . 219. At exempla sunt, inquis, apud veteres. Quae? Sabinarum, *apud Livium, lib. 1,* Veturniae & Volumniae ad Coriolanum . . . Quid audio? Legationum illa exempla nulla sunt . . . 220. . non publico gentium jure, sed necessitudinis jure egressae [sunt] . . . Aliud autem est deprecatorem venire, aliud Legatum: alter exit privato, amicitiae, necessitudinis aut alterius fiduciae jure, cui se totum committit: alter jure gentium, quod violari nefas . . . 235. Quae cum ita sint, caecutire illos nimio foeminarum amore certe credendum est . . . .

Gratiosus mittendus.

237. Unum . . . ultimo restat. Quid vero illud? Quod . . . cogitatio electoris intendatur, quo maxime gratiosum Legatum eo unde quid legationis viam velit obtinere mittat. 238. Gratia siquidem plus valet, quam omnis reliquus prudentiae & omnium dicendi & agendi artium apparatus. 239. Sunt autem gratiae quaedam vincula ab ipsa natura. Ut est sanguinis & necessitudinis propinquitas . . . 240. Alia a maximis meritis & beneficiis . . . 241. Alia a simili educatione, studio & commilitio . . 251. Quin & linguae communis commercium . . . 253. [Et ideo] legendus, qui linguam eius gentis ad quam mittitur, calleat, quique, si non inde oriundus, nationis tamen noticiam, peregrinatus

ibidem, habeat . . . 254 Nam & peregrini eam ob causam, qui aliunde sese in exteras aulas servitii ergo receperunt saepe solent, quod gratiosiorem legationis personam apud Principem, cujus in provincia nati & apud populares reddere possint . . . 257. Nec enim operaeprecium est, id genus hominum mitti, qui vel de gente, vel de Principe, ad quem legatio instituenda, quippiam scripserint, aut dixerint, quod exacerbare animum potuit . . 259. Nec vero solum in ejusmodi legationibus, quibus invisae personae obeundis adhibitae, oleum & opera, quod dicitur, inane consumitur: 260. Sed & ipsi Legati, perpetrati adversus illos, ad quos missi sunt, criminis conscii, . . . deserti a juris gentium protectione, capitales poenas sustinuerunt . . . 264. Providendum itaque illis, qui aucupari legationis suae gratiam velint, ne quos male acceptos & ingratos fore sciant, vel ob minimam aliquam suspicionem ablegent: neve ex illo regno, quo mittantur, profugos & proscriptos, obaeratos, aut quovis modo vel expulsos vel elapsos, neve eos, qui in publicis suis scriptis aut orationibus mentionem minus honorificam, vel nationis, vel regis aut Principis fecerint. [265. Bodinus non fuisset gratus in Germania in aula Imperatoris, neque Saxonica; 266. Lipsius – in Westphalia. 272. Diversae religionis sententia.] 273. Sed & non raro tacita quaedam inter homines complures ἀντιπάθεια est . . . [inter Gallos & Hispanos, Anglos & Gallos, Anglos & Scotos, Polonos & Germanos].

Caput V.

An excusare sese & nuncium oblatae legationi remittere quispiam possit? [nn. 35.]

An quis legationem suscipere cogi possit?

[1. Legationis munus difficile. 10. Cogi subterfugiens potest. 12. Venetorum Respublica in recusantes poenam constituit. 14. Excusatio admittenda, si idonea causa reperiatur. 19. Ultro sese offerentes suspecti. 28—32. Excusatio trium liberorum in *l. 1 C. de legat.* non ad legationes exteras, sed ad legationes provinciales pertinet et idoneam personam a legatione non liberat.] 33. Nec vero in huius legationis munere vicarium constituere licet, uti in altera illa provinciali, *l. 7. l. 13 ff. de legat.* . . 35. illius excusatio admittenda, qui sibi inimicum esse . . probat, ad quem legatio instituetur, *l. 4 § 3 ff. de legat.* . . .

Caput VI.

Quot mittendi, tum Legati, tum Comites? [nn. 85.]

Numerus legatorum.

3. Numerus mittendorum bifariam consideratur: Aut ipsorum Legatorum, qui collegae legationis habentur, aut comitum est *leg. 7 ff. ad leg. Jul. de vi publ.* . . 6. Ac plures quidem in legationem mittere non tam legationi, quam legioni convenire videtur: sed pauciores, quam tum negotii gravitas, tum missionis dignitas postulet, sordidum & cum contemptu conjunctum . . . [20. Major numerus in legationibus honoris & officii; 22. in legationibus negotiorum consultius est pauciores mitti.] 25. Municipalis certe legationis numerum edicto praescripsit Vespasianus . . . 26. Verum illud edictum nostris legationibus dari nequit, cum nemo exterorum alteri praescribere numerum Legatorum aut comitum possit. [29. Unum mitti, nisi negotii exiguitas non aliter ferat, dissuadendum;] 33. contra vero plures quam binos aut ternos mittere collegas legationis tum consiliorum consensui, tum negotii expeditioni officit . . . 36. pluribus missis, unum ex pluribus principem & caput legationis eligi perquam consultum legationi erit, idque more omnium gentium prudenter institutum & observatum . . . 47. Solent hodie prudenti consilio in legationibus cum duo aut terni mittuntur, generis nobilitas & doctrinae claritudo conjungi, ex utroque ordine viris delectis, quorum alter lumen sanguinis, quod maximum apud aulicos intuitum habet, alter ingenii, quod causam dirigit & moderatur, auctoritatem affert . . .

Princeps legationis.

Comitum numerus.

52. Sed & comitum numerum inspiciamus. Quantus ille? Ut tum legationis, tum mittentis tum missi dignitati & facultatum modo conveniat . . . 56. [Nimius numerus comitum] suspicionem non legationis, sed legionis hostilis affert . . . 60. Moderanda itaque huius rei ratio est, ne vel infra vel ultra legationis modum comitatus instituatur, ne magis oneri, quam honori tam mittentis, quam illi, ad quem mittitur, habeatur. [62—68. Exempla.] 69. Sed non tam refert, quam multos, sed quam bonos & frugi comites habeas . . 70. Procul itaque sycophantae, gancones, lenones, parasiti, infamiumque manipulus, procul rixosi & contentiosi ardeliones, quorum familiam ducere tibi probro & opprobrio, cum etiam illorum delicta in legatum redundent, non secus ac propria commissa, *l. 24 ff. de iudic.* . . 73. . . . maxime utile regno & reipublicae publicis sumptibus in legationis comitatu tum generis,

Quales comites mittendi.

tum bonae spei adolescentes mitti, qui exterorum mores, linguas, instituta . . . lustrent, legationisque administrandae rationem perspiciant. [74. Volones.]

75. Sed quid hoc loco de foemina? An illam in comitatu legati esse patiemur? [78. Uxor legato impedimento erit.] 81. Adde reliqua uxorii comitatus incommoda: arcana legationis possunt illius garrulitate facile explorari, potest, si elegans uxor sit, in periculum maritus apud exteros devenire . . . 85. Longioribus itaque legationibus praestat caelibem & innubum, quam maritatum adhibere . . . Foeminae in comitatu.

Caput VII.

Quomodo mittendi? [nn. 71.]

2. missionis solemnitas partim in forma legationis, partim in accidentibus, ut in scholis loquuntur, consistit. 3. Formalis solemnitas illa est, quae ad mandatum, in quo forma legationis consistit, pertinet. 4. Mandatum siquidem est, quod legationem informat, & negotia, quae legationis materies, dirigit & ordinat. Sine mandato itaque legatus mitti omnino nequit . . . 9. periculum legatorum in eo ingens vertitur, si sine mandato quicquam agant & proloquantur. Trahuntur enim illico in fraudis suspicionem, neque amplius legationis jure securitatem merentur . . . 10. Ut igitur tanquam ad formam legationi inducendam mandato opus est: Ita ad legatorum fidem & auctoritatem, literae, quibus mandati concessio approbatur, requiruntur . . . 17. legatum sine literis emittere incivile. 18. Literae autem illae duplicis generis sunt: aliae in rem legationis, aliae in personam conceptae. In rem sunt iterum duplices, aut sunt literae mandati aut instructionis. 19. Illae continent mittentis jussum, & potestatem conficiendi per legatum id, cujus gratia missus est: suntque instar vinculi, quod legatum primum obligat, ut quae mandati vi & verbo continentur, mittentis nomine perficere teneatur. 19. Mittentem vero, ut quae Legatus secundum tenorem mandati, mittentis nomine, cum illo, ad quem missus est, egerit, grata & rata habere mittens cogatur. Illos denique, qui cum legato nomine mittentis egerunt & contraxerunt, ut inita pacta, conventiones & placita servent. 20. Instructio vero quam commonitorium antiqui nuncuparunt, Brunus *lib. 1 de legat., c. 11* . . . continet modum & rationem mandati exequendi, formamque & ordinem negotii in legationis scena agendi. Estque velut explicatio & interpretatatio

Forma legationis: mandatum.

Literae.

I. — in rem conceptae: 1. mandati.

2. instructionis.

mandati, quatenus mittens velit extendi, quatenus restringi & limitari . . . suntque legationis tanquam limites & cancelli, quos ultra mandatarium transilire non oportet. 21. In personam conceptae literae sunt itidem duplicis generis, unae Commendationis, alterae Fidei, quas vulgus Credentiae appellat. Illae legati personam iis, ad quos mittitur, commendatam faciunt. Hae plenam adhibendam ipsi fidem esse in legationis praesentis actu, mandatisque negotiis testificantur & confirmant . . .

II. Literae in personam conceptae: 1 - Commendationis. 2. - Fidei s. Credentiae.

Mandata definita & absoluta s. libera.

23. Caeterum mandata, quae legatis injunguntur, aut definita sunt, aut absoluta, quae libera vulgo appellantur. Definita, quae certi alicujus negotii potestatem conficiendi committunt . . . 26. Absoluta autem, seu libera mandata pro re nata, potestatem liberam negotii expediendi legati prudentiae & fidei committunt in his rebus, quarum consilium & moderatio certa haberi nequit . . . 28. Excipitur autem in omni absoluti mandati concessione illud, quod fraudi & turpitudini est: Nihil enim inhonestum, nihil foedum & illicitum, nihil quod juri contrarium, ullo pactu nedum mandato contineri intelligitur, *l. 27 § 4 ff. de pact., l. 26 ff. de verb. oblig.* . . 31. Solet etiam definitis mandatis nonnunquam haec clausula, quae vim mandati liberi habet, annecti: ut quae mandati verbis non fuerint comprehensa, tacite tamen contineantur [quod se legisse affirmat Laudensis *teste Zabarello apud* Brunum *l. 1. c. 8.*] . . . 33. Quae quidem clausula vim aliquam liberi mandati habet: Sed longe tamen a mandato libero differt . . . .

Mandata occulta:

40. Verum sunt non omnia mandata ejus generis, ut scripto comprehendantur: quaedam duntaxat fidei & conscientiae legati insinuantur, quae occulta mandata habentur & appellantur. Quorum alia licita, alia illicita. 41. Licita illa, quae de explorandis speculandis hostium consiliis & machinationibus legato injunguntur . . . 42. Licita quoque illa, quae contra hostes ad . . . amicitias & foedera conturbanda aut ad corrumpendos exteros pecunia, mandata occulta adiiciuntur. [Hanc prudentiam] hodierni cum Lipsio mixtam appellant, quae pietatis & honestatis orbem non transgreditur . . . 45. Verum aliter se habet ea quae illicita sunt: Quae nimirum ad perniciem Reipublicae aut etiam in exitium principum & privatorum necem data . . . 48. Ejusmodi mandata non solent literis, ... sed secretis notis comprehendi . . . . 50. Noverint vero legati, se umbone legationis tegi non posse, si quicquam contra legationis & gentium jura . . . committant.

1. licita.

2. illicita.

51. Hoc loco nobis satis sit de prima parte solemnis missionis *[sc. de forma mandatorum]*. Sed & de reliquis agamus, quae partim in ceremoniis, partim in habitu constituta. [Ceremoniae] pro diversitate negotiorum diversae. Aliae in bellicis, aliae in negotiis pacis usurpabantur .... 59. Neque .. ex alio insigni hodierni legati, quam ex amictu cognoscuntur. [60. Vestem suae gentis legatus gestet.] 63. Sed & nonnullis solennis sua vestis est, quam . . . deponere nequeunt, qualis eorum qui hodiernis temporibus, indicendi belli gratia, mittuntur, quos Heroldos nominamus. 64. . . . Vestem autem solent illi ferre pictam, insignibus eius Principis, a quo mittuntur . . . .

Altera pars missionis.

Ceremoniae.

Vestis.

Caput VIII.

Quò & Quà. [nn. 26.]

1. Sed satis praeclare, ut opinor, Legatum nostrum instruximus: quid vero ille mandato accepto faciat? . . . itineri sese noster accingat. [8. Res privatae non debent cursum legationis retardare. 11. Periculosa itinera temera non sequenda.] 17. Clandestini autem introitus nemini non suspecti sunt: 18. quorum causa in periculum venisse Fregosium & Rinconem Francisci Regis Francorum legatos novimus, cum ad Turcicam portam occulte per Italiam contenderent .... 20. Non enim video, quo iure illi non potuerint intercipi, missi ab eo, qui potestatem legati mittendi contra dominum universi orbis nullum habuit. [21—26. Disputatio cum Gentili & Bodino, an legati jure intercepti, & an regnum Franciae pars imperii.]

Iter legatorum.

Libri Secundi

Caput I.

Quae legatorum securitas. [nn. 234.]

1. Oram, quod dicitur, solvimus: atque extra oras nostras oratorem deduximus . . . iter autem externus duplicis tramitis est: aut est eorum, ad quos missus est cum mandato: aut illorum, ad quos mandatum nullum habet . . . 2. De hisce vero dubitant, ad quos legationis nomine non venitur, an etiam illi legationis jura praestare transeunti teneantur. [3—5. Romani & Athenienses interceperunt legatos] 6. contra fas gentium, quod

Externus iter legati.

Securitas datur etiam transeunti.

eam securitatem praebet, ut ubique locorum & gentium itinera ac vias omnes legatis patefaciat, ubique eos ab injuria omnium hominum defendat, sanctosque ubique regionum faciat, *l. 8 ff. de divis. rerum.* 7. Illud enim hoc omnium gentium consensu confirmatum jus requirit, & non solum illis, qui ad nos missi, sed etiam sine noxa & maleficio transeuntibus per nostras provincias, etsi vel ab hostibus, vel ad hostes nostros missi sint, securitatem praebeamus, *l. 4 C. de comm. & mercat* . . . . [Falsi legati securitatem non habent.] 14. Securitatis itaque umbraculum, quod ex jure gentium legati habebant, falsitatis culpa, quae omnibus gentibus odiosa, mentiti legationem amittunt: qui proditores potius & speculatores, quam Caduceatores habentur . . . 18. Speculatores autem hic eos accipe, qui nullum alium legationis praetextum habent . . . . 20. cum solenniter missi sint, nomenque & dignitatem justae legationis habeant, exploratorum, proprie quos ita dicimus, venire nomine nequeunt. Etsi enim aliud in labris, aliud in fibris ferant, ob id tamen legationis nomen & jus non amittunt . . . 24. Aliter tamen id genus legati tractandi . . . 27. studeas . . . Vulpem contra vulpem, Cretem contra Cretensem agere, paribusque armis contendere.

Falsi legati.

Speculatores.

Securitas legatorum juris est gentium.

30. . . . tam firmum & fixum apud omnes gentes non violandi legati ius habetur, ut omnibus etiam bellorum denunciationibus & conventionibus tacite inesse intelligatur, etiamsi expresse nulla huius rei mentio facta fuerit, *glossa in l. conventionum 5 ff. de pact. & in l. postlim. 19 ff. de capt.* 31. Quod tamen cavisse peculiaribus conventionibus inter se Attici & Lacones perhibentur, ut utrinque legatis ultro citroque sub belli flagrantia hinc inde missitatis terra marique securitas praestaretur. 32. Sed hoc, si iuris gentium fides inter illos locum tenuisset, muniri singulari pacto non opus fuisset. 33. Etsi non video, quî cum illis fieri ullo modo firmae conventiones & foedera possint qui, quod sanctissimum habetur inter mortales ius gentium non advertant, non observent. 34. Aut quomodo suis illi pactis steterint, qui naturae legibus & omnium populorum moribus contraria perpetrent? . . . [37. Inter Atticos & Lacones crebriores legatorum violationes. 38. Romani custodiendae legatorum securitatis studiosissimi. 39. Feciales. 40. Poena legationum violatoribus deditio erat. 41—44. Exempla. 45. Romani deos esse legati violati vindices crediderunt. 48. Dei ultoris ira manifesta,] cum ob violatos legatos urbes & regiones devastatae funditusque eversae fuerint . . . . 58. Caeterum nulla belli indicendi causa

Violatae legationes.

Violateres dediti.

Bella indicta.

justior, quam violatorum legationum ultio, quod pluribus docet Polybius *lib. 1 & 2.* Quod etiam nobis divinae literae in Davide reliquerunt . . . .

[70. Violanti ius legationis idem vicissim non servatur.] Jus talionis in violatorem. Quid enim si qui te nunc mittit, vel illorum ad quos mittit, vel per quos mittit, aliquando legatos laeserit, interceperit, excusserit, percusserit, quo jure suae legationi securitatem ab iisdem postulabit? 71. Naturae, immo Christi Dei nostri vox est . . . *Quod tibi non vis, alteri non feceris* . . . Vis itaque tuum tibi legatum tutum & securum ire, redire, jurisque gentium privilegio sanctum haberi? aliorum etiam tibi legati sacri & sancti eodem jure sunto . . . 76. eleganter Albericus *d. lib. c. 6* loquitur, jura violanti, si jus non praestatur ei, non violari, sed jus reddi creditum est . . . [Exempla.] 85. [Scipionis prudentia qui legatos Carthaginiensium non ad normam stricti iuris intactos dimisit.] Legati a vulgo violati. Scipio enim suos competerat legatos non ab illis laesos, qui legati mittendi potestatem habebant, a patribus videlicet & senatu, sed a promiscuo vulgo, quod furenti belluae simile . . . facinus esse perpetratum . . . 87. Praeter rationem itaque agi . . visum foret, si stolidum tumultuantis plebeculae furorem ulcisci in publica legatorum persona voluisset . . .

93. [Belli & legationis jura contraria non sunt,] Belli & legationis iura. quae se mutuo tollant, sed diversa, quorum haec ratio, ut simul esse & consistere una possint. 94. Nec legationis administratio a pacis & belli jure dependet, sed per se & ex se ius singulare, iuris divini & gentium praesidio munitum, habet, quod utroque tempore reipublicae inviolabile permanet . . . 96. Etsi itaque foedera & pacta pacis & induciarum turbentur, quod ipsum per se grave, . . . non tamen ex omnibus illis belli iniuriis adversus legatos, qui ad te iuris gentium fide missi, iniuriose quippiam designandi iusta causa emergit, sed belli tantum iusti causa nascitur, *l. ut vim, 3 ff. de iust. & iure.* At inter belli etiam ac armorum fremitus tuti versari legati debent. Bella enim non nisi cum hostibus agitanda, *l. hostes 34 ff. de capt.,* legatione autem qui perfunguntur, hostem exuerunt . . . 97. Propterea impie & scelerate ii agunt, qui pacis & foederum fractiones legationis violatione compensandas curant . . . 102. Ex foederis enim & iuramenti violatione jus belli justi oritur, non vero itidem ex jure belli licentia violandae legationis nascitur . . .

104. De missi officio, quod vicissim securitatem sibi praestantibus debet, agamus . . . 107. Legationis enim securitatem Missi officium. Securitate non abutendum.

Abutentes puniuntur,

nemo existimet tanquam Romuli aliquem lucum & asylum esse, quod, ut Satyr. scribit, scelus omne tegebat . . . 114. Non igitur mirum cuiquam videatur, si extra publicae securitatis jurisque gentium septa rapti, quandoque regum caduceatores esse affectique ultimo supplicio audiantur. [115—124. Exempla.] 125. Quamvis enim capitali poena in legatum animadverti possit, ob illa, quae tum divinis tum naturalibus legibus sanguinis poenam merentur, ut sunt latrocinia, veneficia, homicidia, adulteria & similia: attamen in illis, quae singularibus cujusque civitatis moribus & statutis vetita, duriorem poenam & mulctam imponunt, si forte legatus offenderit, secundum civilis legis rigorem coerceri non debet. 126. Affert enim legatus & secum adducit juris gentium leges & normas, secundum quas examinari & puniri delicta ejus oportet. Alterius vero civitatis moribus minime tenetur. Nec illud ad legati disciplinam necessario convenit, quod in triviis canitur: Si fueris Romae, Romano vivito more. 127. Jura autem gentium naturalis rationis ductum viamque sequitur, ut quod omnes gentes naturali judicio & argumentatione tum intelligunt, tum approbant, vel reprobant, illud ex jure gentium judicetur, *l. 1. l. 9 ff. de iust. & iure,* Instit. *de iure natur.,* recte aut secus actum. Unde Tullius: Jure consensio, inquit, omnibus gentium lex naturae putanda est, *1 Tusculan.* Sed rem exemplis illustremus . . . 131. Graviter autem juris gentium violatur sanctimonia, si adversus legatum animadversiones graviores quam fas est, adhibeantur, aut si in vi repellenda (ut Albericus loquitur *lib. 2 cap. 18 de legat.*) supra quam oporteat enitamur . . . [135. Dimissio inhonorata non levis legato poena.]

— jure gentium, non civili.

Dimissio inhonorata non levis poena.

Legatus in principem conjurans.

139—140. [Conjuratio legati in principem.] 142. Legatus tamen, adversus peregrinum principem delinquendo neque dominum ulla subiectione aut nexu obligatus agnoscit, maiestatem eius laedere non intelligitur: Dd. *in d. l. quisquis [ff. ad l. Jul. Majest.],* 143. nequaquam illis legibus iudicari poterit, quae non nisi subiectos quibus scriptae sunt, tenent. 144. Naturalis autem ratio, iusque gentium, quo legati causa iudicanda, illud omnino non admittit, ut affectus, suasus & consilium sceleris pro consummato scelere habeantur, *l. cogitat 8 ff. poen. & ibid. communiter Doctores.* 145. Quae cum ad hunc modum & gentium & Romanorum iuri quam maxime consentanea, & eam ob causam firmissima sint, nihil omnino legatus noster commovebitur duriore atque iniquiore ista sententia, quam superioribus annis,

Affectus & consilium pro scelere consummato.

Anonymi auctoris de hac quaestione tractatus.

cum quinquennio ante hic liber prima editione prodiisset, quidam suppressi nominis auctor, peculiari de huius rei quaestione edito tractatu, in contrariam, uti videtur, partem asseruit. Quomodo vero? Eo quod maior legatis delinquendi occasio, liberiorque nocendi facultas atque vis sit, graviore poena eundem coercendum esse Anonymus iste arbitratur, ita quidem, ut etiam malevola eius voluntas habenis iniectis extorqueatur. Prudens, quisquis est, in eo, quod nomen suum occultaverit, ne cum inventore Perillo nominari dignuque praedicari possit, qui quas legato fabricavit fidiculos ac equuleos, ipse princeps imbuat. Imprudens autem & plane ignarus eius juris, quod ad legatum convenit . . . Parem ille contendit reatum delinquentium legati & subditi esse, parem idcirco etiam debere utriusque esse poenam. At illud non ita esse, perspicue hoc capite ostendimus . . . Deinde fundamentum juris civilis in dubium vocat, quod certissimum nobis in eo est, quod laesae majestatis crimen in legatum tanquam nullo jure subditum cadere possit. Clarus *in pract. § laesae majestatis, vers. quandoque* docet sententiam eam communem esse & Ant. Gomez, *varia Resol., tit. de crim. laes. majest.* docet novissime Prosp. Farinacius, *de ind. & tort., quaest. 51 n. 80* . . . . [146. Hispanicus legatus in Anglia dimissus. 147—148. Dimissio legatorum propter vim virgini intentatam. 149. Legatus Tarentinorum, obsidum fugam consilio & ope adjuvans, dimissus, 150. quamquam obsidum fugam consilio juvare majestatis crimen.] 158. Verum legati consilium, quo obsides ad arripiendam fugam usi, puniri iure gentium non aliter, quam dimissione poterat. 159. Non igitur ex eo relinquitur, quod tamen Alberico videtur *lib. 2 de leg. c. 21,* ut, si obsides, quo fugerint, fidemque datam eluserint, retracti ad poenas capitales fuerint, non minus legatus, qui opem & consilium fugae praebuit, eadem poena afficiatur. 160. Legatorum enim & obsidum iura diversissima sunt, neque ulla parte conveniunt, nisi quod iuris gentium securitate gaudeant, & inviolabiles aeque sint ac legati, Dionys. *lib. 6,* quandiu obsides, hoc est, datae fidei tanquam pignora & arrhae manent . . .

Vis virgini intentata.

Legatus obsidum fugam consilio & ope adjuvans.

163. Sed quid de legatorum injuriis, quae ex affectu & consilio ad effectum plane perductae, dicemus? Itidemne eorum dimissione sola acquiescemus? Diximus iam antea legatum iure suo damnari punirique posse, si ea crimina admiserit, quae jure gentium puniantur. 164. Jus enim legatorum in hoc reciprocum est, ut quemadmodum ille, qui legatum pulsavit, iure gentium

Iniuriae legatorum ad effectum perductae.

Jus legatorum reciprocum est.

Legatus laesis deditur.

deditur: Ita vicissim legatus, si iniurias intulit iis, ad quos missus est, laesis in poenam dedatur. 163. Aque hoc iure Fabium a Gallis postulatum esse testatur Livius *lib. 30* . . . 166. Quod si itaque legatus principi, ad quem missus erit, iniuriam re ipsa manuque violenta intulerit, ipso facto in potestatem principis delapsus, secundum ius gentium poterit plecti, imo vero etiam ob levem iniuriam actualem, ut in Ictorum scholis vulgo loquuntur, puniri. 167. Nec tamen itidem si liberius loquendo principem offenderit, verborum illico easdem poenas reposci juris est . . . 168. contra fas tamen gentium agitur, si libertas oris acerbius, quam fieri debet, vindicetur . . . 172. Quorsum enim securitas legationum juris gentium praesidiis munita spectat, nisi eo, ut libere, quicquid e re fideque tua sit, proferre possis? [173—186. Exempla.] 187. Et certe non video, quae justa causa esse possit, ut liberioris verbi gratia caedi legatus jure queat. 188. Verba enim verbis, non verbis verbera reponenda . . . . 192. Sed et illi sine causa jus gentium violant, qui ob iniqua, uti ipsis videtur, postulata adversus legatos iniqui . . . 193. Injusta enim postulatio non habet in se violandi juris gentium justam causam. [Exempla.] 201. . . . hoc sensu rectissime elocutus est Justinianeus Orator his verbis apud Procopium *l. 1 de bello Gothico*: *Orator qualiacunque a principe se ablegante accepit, profert, quae si minus proba & iusta videntur, ipse propterea non est accusandus, sed qui miserit forte culpandus.*

Legatus liberius loquens non puniendus.

Dicendi libertas non calumniandi.

[202. Iniuria mittentis armis vindicanda.] 205. Absit tamen, ut supra monuimus, a dicendi libertate calumniandi & conviciandi studium. Neque enim illam licentiam ulla libertas aut ulla iura permittunt . . . 215. Multo vero minus veteres inimicitiae & simultates privataeque offensiones in legatis persequendae. Contra jus enim & fas gentium [Antipater & Alexander Phaereus inimicos suos legatos ad se missos obtruncarunt].

Veteres inimicitiae non persequendae.

Delicta legati in privatam personam.

218. Caeterum haec, quae de legati delictis & contumeliis disputata sunt, in principem aut rempublicam, ad quem missus, commissa intelliguntur. Quid si in privatum? Eodem jure censebuntur? Minime. Nec enim par ratio, neque eadem delicti gravitas . . . 223. Ut enim injustissimum est, in civilibus tribunalibus Arithmeticam proportionem in mulctis & poenis, nullo civilium dignitatum habito discrimine tenere . . . 224. Ita periniquum in juris gentium iudiciis eam personam, quae juris gentium nomen & titulum dignitatemque praefert, cum privati homini conditionibus aequali jure censeri. Non itaque eodem modo, quo

privatus, legatum laedens, etiam ob leviorem iniuriam deditur: dedendus illicet legati persona ob levi iniuria affectum hominem privatum . . . 232. Sed & prudentissimi Romani, etsi jure gentium legatum stricta aliqua plectendi ratio teneri posset, maluerunt tamen ex aequo & bono, quam ex rigore juris, in hoc casu iudicare, servatumque hoc non solum in legato, sed etiam in legati comite . . . 233. Imo vero tam late huius favoris sinus diffunditur, ut non modo volones, de quibus supra diximus, verum etiam mercatores peregrinos, quousque legati iter comitantur, recipiat . . . Quis jura legationis omnibus comitibus aeque patere dubitabit? cum etiam mercatores non modo ingredi, sed etiam negotiari sub hoc publicae fidei umbraculo libere posse ex *d. l. 4 [mercatores C. de commerc.]* perspicue cognoscat? Cui Imperatorum rescripto suffragantur reliqua prudentum ea de re responsa: Modestini *l. 32 ff. de excus.*, Ulpiani *l. 7 ff. de vi publ.*, ubi expresse ac generatim legatis, oratoribus comites adjunguntur, qui alibi, *l. ult. ff. de legat.* sub legati nomine tanquam corporis umbrae intelliguntur. Nec vero quicquam huius nostri legati comites, quo minus omnes pariter, eodem jure fruantur, impedit, sed potius adjuvat Hermogenianus per *l. 41 ff. de excusat.* Quomodo vero? omnes ille reipublicae causa abesse & ob id privilegiis & immunitatibus legationis gaudere affirmat, qui (de illa speciatim ibi loquitur) provincialem legationem intra statutum, qui praescriptus erat, numerum comitantur. Quanto magis itaque comitatus nostrae legationis, cui nullus numerus ab externo praescribi potest, jure gentium quantus quantus erit, perfruetur? comites autem omnes hoc nomine & jure veniunt, qui legatum comitantur, cuiuscunque status sint & officii honestioris aut vilioris, sive rhedarii, sive stabularii, nautae, sive remiges: minoris enim servitii famuli aeque necessarii atque majoris . . . Qua ratione etiam vernae & mancipia . . . comitatus jure aeque laetantur: quod non eo modo intelligendum, ut legationis jure ex servis liberi fiant . . . sed quod aeque tuti & inviolabiles servi sint in comitatu, ac caeteri liberi. Quod vero Bodinus *de republ. I. c. 5.* peregrinos servos, simul ac Galliae fines attigerint, eodem momento iure Gallicano liberos fieri, atque e veteri Parrisiorum decreto, adversus legatum quendam Hispanum, qui servum in Galliam deduxerat, decretum fuisse scribat, non equidem video quibus rationibus aut quo iure stabiliri possit. Quid enim Senatusconsultum Lutetianum, quid mores ac consuetudines Galliae, quid leges civiles regni ad

Comites legati & mercatores.

Comites qui?

Servi in comitum numero.

Bodini sententia.

Hispaniae legatum eiusque comites? Nihil omnino. Violatur certe ius gentium legationisque securitas, si secundum alterius regni Scita cogatur aliquid facere legatus, quod nolit, quodque iure gentium agi non possit, *arg. l. ut vim ff. de iust. & iure & ibi. Dd.* Nec enim legatus aliorum peregrinorum iure aestimandus, qui iure commorationis vel loci, in quo hospitantur, vivere mores & leges tenentur . . . Quocirca nec Gallicum illud ius quod Albinagium vocant . . . legatum nostrum cum comitibus suis vel minima parte attingit. 234. Quod tamen ad comites legati, ut eo redeam, si quid deliquerint, attinet, hoc commune quidem cum ipso legato & capite suo habent, ut ob ea delicta, quae, ut supra ostendimus, in legato puniri poena capitis nequeunt, neque illi plecti possint. Si vero eiusmodi commissa sint, quae graviorem poenam iure gentium mereantur, ratione geometricae proportionis, qua servus & inferioris conditionis homo semper gravius . . . ob idem delictum punitur, *l. qui caedem ff. de l. Cornelia* . . . comites & famuli longe maiore poena, quam legati afficientur . . .

Poena comitis delinquentis.

Caput II.

Admissio & exceptio legati. [nn. 141.]

Exceptio honorifica etiam apud barbaros.

6. Omnium autem populorum moribus receptum atque adeo barbarorum etiam institutis comprobatum esse, ut honorifice exterorum legationes exciperentur, Totilas *apud* Procopium *lib. 3. de Bello Goth.* affirmat. 7. Qua quidem in re superare omnes alias gentes Romani studuerunt . . . 9. Honoris enim ergo obviam legatis ex magistratibus mittebantur . . . 14. Idem hodiernis moribus etiamnum honorificum & in exceptionibus splendidarum legationum solenne . . . 18. Deinde honoris ergo hospitium etiam legatis praebetur . . . 28. *teste Varrone,* ut quasi in luce ac oculis civitatis habitarent, quo etiam diligentius observari possent quid agerent, quid molirentur . . . 31. Verum ut illa observatio prudentiae & providentiae laudem meretur: ita contra nimia diffidentia, & ad carceris imaginem arctior custodia odium & reprehensionem justam incurrit. 32. Barbarum siquidem est, & servitutis speciem habet, quemadmodum *Varsevicius idem testatur,* legatum ita constringere, serisque & pessulis concludere, ut neque efferre pedem limine, aut caput fenestris exserere possit. 33. Quod sibi in Turcica legatione obvenisse conqueritur

Obviatio legati.

Hospitium publicum.

Augerius d. libro, morisque illud esse in Moscovia affirmat *Baro d. libro* . . . 38. Hodiernis moribus etiamnum hospitiorum praebitionem receptam esse, si magnorum principum legati appellant, testatur Brunus, *l. 5. c. 6. d. lib.,* sed plerumque pro publicis aedificiis publica nunc habentur in Germania diversoria, ex quibus majoris honoris ergo in palatia sua principes honorifica deductione, equis & rhedis missis, vocare solent quos dignari exceptione honoratiore volunt. [45. Hospitium legatorum non ex jure militari & civili, sed ex more gentium interpretandum. 49. Hospitium etiam cibaria & vestimenta comprehendit & munera.] 52. Quod vero itidem erga legatos usurpatum non tam ex legationis, quam ex hospitii jure profectum, ideoque multi etiam Roma sine vestibus, sine muneribus dimissi, quod quidem legationis jure, sed hospitii jure non essent accepti. 53. Sunt enim illa a sese invicem diversa . . . 54. Legationis enim jus totum in persona publica residet, eiusque dignitas ad mittentis personam ex missi persona tota reflectitur. 55. Hospitii vero ius etiam privatam erga missi personam amicitiam & necessitudinem affectionemque amplectitur . . . 64. Debere autem nostris temporibus retineri veterem illam honorificae obviationis & hospitalitatis in excipiendis legatis consuetudinem . . . Philippus Comminaeus graviter monet . .

Cibaria, vestimenta & munera („Lautea").

Jus hospitii & legationis non idem.

Vetus hospitalitatis consuetudo retinenda.

84. Atque haec de excipiendo excepto honorifice habendo legato sufficiant, quae tamen, si non omnia fuerint omnibus ubique praestita, non tam ex neglecto juregentium, quam ex non observatis ritibus & moribus querelam pariunt, neque ob id violatae legationis quis arguendus, quod minus splendide & magnifice hospitalitatis & humanitatis iura exercuerit. 85. Illud enim quod ex jure gentium dependet, debitum est, ac si contra illud agatur, aut si omittatur, culpam & poenam trahit; hoc vero, cum familiare magis & privatum sit, in arbitrio excipientis omnem modum positum habet. 86. Nec vero ob id quispiam legationis jura amittit, quod vel non exceptus honorifice, vel minus liberaliter, quam hospitii mores ferant, tractatus. 87. Veientum & Volscorum legatis, ut & aliarum gentium fecialibus, honorifica obviatio, nulla munerum & vestimentorum missitatio facta fuisse legitur: *Liv. & Halicarnassensis, antiquit. lib. 7.* 88. Erant nihilominus legati, & licet hospitii iure carerent, non tamen caruerunt jurisgentium securitate. 89. Haec enim, in admissis legatis neque tolli neque omitti, sine violatione legationis; illa vero praeteriri salvo legationis jure possunt . . .

An jure gentium debetur?

Legatio non semper admittitur.

93. Sed quid pluribus de exceptionis & hospitalitatis officiis, an praetermitti illa possint, disputamus? cum & legationem non admittere & interdicto legatum ipsum a nostris finibus nedum ab auribus quandoque arcere & amoliri possimus, exemplorum abunde in veterum monumentis. 94. Quid enim Persei, quid Aetolorum caduceatoribus responsum? hostium iure non legatorum redituros, & securitatem nullam habituros . . . 96. Sed quid in priscis haereo? [Exempla recentiora.] 98. Facti, inquis, illa omnia sunt, non juris; sed non attendendum, iuxta illud JCti Proculi oraculum, quid Romae fiat, sed quid fieri debeat, quid oporteat, *l. 12 ff. de off. praesidis* . . . 103. Hanno Livianus Annibalem apud cives suos iuris gentium sublati eandem ob causam arguens: *legatos a sociis,* inquit, *pro sociis venientes bonus Imperator vester in castra non admisit, ius gentium sustulit.*

Jure gentium quando juste reiicitur.

104. Videri itaque violationem juris gentium etiam interdictione & reiectione legationis contineri. 105. Verum non omnium legationum amolitiones ex hac Hannonis sententia diiudicandae sunt, sed illae duntaxat repudiationes & interdictiones hoc verbo censendae, quae sine justa causa, sine probabili ratione in juris gentium despectum mittentisque contumeliam factae . . . 108. Caeterum quae ob causam justam reiiciuntur & vetantur missiones, ad juris gentium violationes trahi recte nequeunt. 109. Quod enim iure fit, id culpa omni caret. At illud omni iure licitum est, ut quod tibi fraudi, detrimento, dedecori, exitio ac periculo

Quae causa iusta?

futurum videas, id omnibus viribus repellas . . . 113. Causam autem justam eam esse hic judicemus, non quam quisque lance opinionis ponderatam, justam esse autumabit, sed quae omnium saniorum gentium arbitriis ac sententiis recte perpensa & examinata aequitatis trutinam judiciique recti normam sustinebit.

Aliquando legatus, non ipsa legatio reiicitur.

114. Fit autem interdum, ut quidem legationis & causa & iure salvo ac integro, non ipsa legatio, sed legatus saltem ob iustam causam reiiciatur. 115. Exemplum praebuit . . . Pontifex Aeneas Sylvius . . . Quid vero ille? Caesaris legatum, quod esset dignitate legationis obscurior, audire recusavit, clariorem sibi remitti postulans . . . 121. illa indigni legati reiectio & remissio etsi iurisgentium violationem nullam constituat, reprehensionem tamen tacitam & imprudentiae notam domino, qui misit, domum reportat, quod eum miserit, qui mitti neque poterat, neque debeat. [122. Eodem modo Lysimachus expulit Ptolomaei legatum.] 124. Quid si remissus revenisset? iniuriae certe magis & contumeliae, quam legationis ergo venisse videretur, & iustam

ob causam excludi & abigi ac puniri potuisset, securitate legationis destitutus, neque in eo legationis violata iura dicerentur. 125. Si enim licet interdicere, ut licet, legato ne veniat: licet etiam contra interdictum redeuntem mulctare, *l. legis virtus 7. ff. de ll.* Vique irruentem vi repellere, *d. l. 3 ff. de iust. & iure.* 126. Impietatem autem notoriam, ut in foro loquuntur, esse debere opinor, quae reiectioni & interdictioni iustam causam praebeat. 127. Sine causa autem legatum reiicere non minus est jus gentium tollere, quam legationem sine causa prohibere. 128. Sed & causam tum legationis, tum legati reiecti expresse declarandam esse arbitramur, neque sufficere τὸ οὐκ ἀρέσκουσιν, Xiph. *in vita Adriani,* Non placent . . . 133. Nisi itaque expresso declarata & ostensa causa reiectionis sit, ea pro nulla causa est habenda, semperque violatio juris gentium adversus violatorem, & regulariter dolus adversus auctorem praesumitur . . . 135. Legato enim sua sponte adstant juris gentium favor & privilegiorum satellitium, unde in dubio semper legati causa praesumitur melior . . . .

Indignus legatus qualis?

Causa reiectionis expresse declaranda.

Caput III.

De domestica legati conservatione. [nn. 78.]

1. Atque ita in hospitii sedem legatum nostrum pro dignitate exceptum deduximus, in quo, antequam ad palatium exponendi mandati ergo conscendamus, visenda nobis quae ad domesticam legati conservationem, quae ad penum familiaeque disciplinam pertinebunt. Occurrit autem in ingressu omnium primum suppellex . . . 8. [Supellex legatis locata,] ut necessariis commeatui instrumentis non destituerentur, ubi nulla hospitiorum jura & amicitiarum invenirent . . . 9. Atque hoc est quod Labeo dicat, quod *olim* locari solerent, innuens postea illum morem desitum cum finibus imperii latissime extentis paucissimi fuerint populi, qui non vel amici, vel socii, vel confoederati, quos tanquam per suos proficiscebantur, *l. 5 § 1 de capt. & postlim* . . . 10. Quae materies? Cum non nisi *olim* locata fuerit, nihil argenti nedum auri continebit . . . 16. Caeterum posterior aetas aurum, ebur & argentum in suppellectilem recepit . . . *Papin. l. 9 § 1 ff. de suppel. legat. Cels. d. l. 7 § 1.* Sed & hodie legati magnorum regum & principum quandoque non tam usus quotidiani, quam pompae & ostentandi splendoris ergo, inter alia aurea & argentea viatoria instrumenta praeciosa tapeta secum ferunt,

Supellex s. vasa legatorum.

Supellex cur locata?

Quae materies in supellectili?

de quibus etiam olim dubitatum, an in suppellectile essent, *l. 1. de tapetis 5. d. tit.* Idque Moscoviticis legationibus solenne esse
Splendor, non luxus. scribit Heidensteinius *de bello Moscov.* . . 23. At noster optime novisse debet, quantum inter luxum ac splendorem . . . intersit. Splendoris enim in omnibus rebus memor legatus esto . . .
Convivia. 27. [Intersit legatus] epulis aliorum procerum & magnatum, 28. . . tempestiva convivia ipse vicissim exhibeat, 29. [in iis enim multa arcana explorantur.]. . . 32. [Aliquando] si pro oratore potatorem mittas consultius fecisse videaris . . . 37. Ut maxime enim apud Italos, Gallos & Hispanos sobrietatem tueri possis: apud Germanos, Danos, Suecos, Moscovitas reliquosque Septentrionales vix quidem poteris, qui . . . loco superiore collocare
Cubicula. solent eos, qui aliis potandi gloria antecellant . . . 63. Sed satis mensam legati inspeximus, progrediamur in conclavia . . . Sine uxore quidem legatum profectum esse laudamus . . . Sed & alienam foris interea in cubiculo eius esse, a gravitate & continentia legati alienum . . . [66. Libidinis causa legati multoties caesi sunt.] 68. Caveat igitur, ne non solum in crimen, sed neque in suspicionem criminis vocare queat . . .
Comites & servi coercendi. 75. eo tamen majori diligentia comitum & familiarum mores sibi coercendos esse legatus meminerit, quod eorum non modo facta, sed & dicta omnia legato sint praestanda . . .

Caput IV.

Honorifica accersitio. [nn. 36.]

Celeritas conficiendae legationis. 1. . . industrii fidelisque legati est omnem operam & diligentiam convertere, ut quam ocyssime . . . finem, ob quem venerit, consequatur. 2. . . Id enim nunc moris regii esse existimatur, diutius legationis audiendae tempus trahere . . . 12. Sed & prudentibus nonnunquam & callidis stratagematis opus est, ut si ex composito & industria occludi tibi fores animadverteris . . . 18. [Causae longioris detentionis. 22. Legatus in senatum honorifice ducendus.] 24. Honorifica deductio etiamnum moribus nostris recepta . . . 29. [Ad inhonestum locum legati] sequi non debent . . . 30. In lupanarium ergo si te Heliogabalus, in popinam si Vitellius deductum velit, eone mandata tua expositum eas. 31. Quocirca turpissimus Cracoviensium episcopus . . . missos ad turpissimum latrinae locum deduxit, ibi inquiens suas opes & facultates esse reconditas . . . [33. Aliquando in castris audiuntur legati.]

Causae detentionis.
Honorifica deductio legati.

Caput V.

Ad exponendum mandatum ingressio. [nn. 93.

1. In arenam tandem dicendique campum atque ipsam in aciem, quod dicitur, devenimus . . . [3. Fortitudine & constantia legato opus. 11. Audacia & temeritas fugienda. 13. Horrendus ad multorum regum atria ingressus.] 15. Sed ut fortiter & intrepide accedere te velim: ita irreverenter & sine salutatione nolim . . . 21. Id enim naturae legationum suapte indole inesse intelligitur, ut, cum jure apud alios gentium servato . . . vicissim eos per nostros honoremus . . . praestemusque illis, quod & mores omnium gentium & jura humanitatis in hospitalibus congressionibus & legationum colloquiis fieri postulant. 22. Nec vero ille in legationum commerciis per salutationem ejusque ceremonias honor & reverentia exhibita vel mittentis majestatem, vel missi dignitatem imminuit, sed potius auget & amplificat, cum neque fidelitatem aliquam, neque subjectionem ullam, neque herilem observationem, neque ullum fidei aut religionis nexum, quo se extero obstringat legatus, contineat; sed ex mero humanitatis urbanitatisque fonte profluens civilitas quaedam sit . . . 25. Caeterum huius . . . reverentiae civilis ceremonias quisque ex sua civitate moribusque suis affert, non ex illorum, apud quos peregrinatur, ritibus mutuatur. Quod nisi fiat, non jam amplius ex moribus gentium officiosa humanitas, sed subjecta humilitas & abjecta adulatio dicenda . . . 35. Persae itaque hac in parte erga exteros iniqui, qui secundum Persicam salutationem legatoram omnium institutos cultus & ceremonias expetebant . . . 38. Ut autem salutationis decentis modus: ita & resalutationis honor non praetermittendus . . [39. Obviatio honorifica. 41. Assurrectio honorifica. 44. Caput opertum. 48. Manus honoris causa porrecta.]

Ingressus intrepidus.

Salutatio.

Ex moribus gentium et jure humanitatis.

Ceremoniae quales?

Resalutatio.

52. Sed cum satis salutati & resalutati simus: ubinam locorum digne stabimus, ubi sedebimus? . . . 54. Dignioris enim legati, cum mandata exponit, non stare potius, quam sedere est . . . [59. Pontificis legato ex sella dicere volenti Moscus sedem jussit subtrahi an. 1561.] 61. Nec enim omnibus promiscue legatis sedendi jus permittitur, nisi a majoribus aut paribus missi fuerint, eamque consuetudinem iam antea apud eosdem usurparint . . .

Sedendi jus.

[69. Jus προεδρίας. 74. Legatis Imperatoris, etsi nondum

Jus προεδρίας.

coronati, loci superioris dignitas debetur,] cui neque externorum regnorum ulla statuta, qualia Polonus de legatorum admissione & prioritate habet . . . opponi possunt. [76–83. De sessione contentiones. Exempla.] 84. Ejusmodi autem controversijs inter legatos compescendis Poloni adhibuere prudentis legis remedium, qua statutum, ut & priores audirentur, prioremque locum ubique locorum tenerent, qui tempore priores in regnum appulissent. Varsevicius, *d. loco.* Quod videtur eadem ratione juris niti, qua antiquiores junioribus regulariter praeferuntur *l. 2 C. de praef. praet., l. 1 C. de praepos. sac. scrin., c. statuimus, 6 dist.,* & ibi glossa expresse, Tiraquellus, *de iure primogen. praef., n. 115.* & tempore promotionis priores, praerogativam habent in subscribendo, sedendo, incendendo, loquendo, Ant. de Gamma, *decis. 1. n. 1 & 13.* verum temporis illa praerogativa tum tandem locum invenire suum poterit, cum inter eos, qui eiusdem ordinis ac dignitatis habentur, parisque conditionis sunt, docente Ulpiano *l. 1. ff. de alb. inscrib.* [et ideo legatis Imperatoris nihil praejudicare potest] . . . 87. Est itaque singulari prudentiae ac judicio legati committendum, ut videat, quid in hac parte juris ac dignitatis ergo faciendum, quid omittendum, ne potius risum & cachinnum ex quaesito ambitiose loco, quam gloriam & laudem reportet. Etsi non sim ignarus tanti a plurimis sessionis honorem fieri, ut maluerint, infecta & in audita legatione rediisse, quam inferiore loco stetisse, aut ante se aliis sedem concessisse . . . [92. Alexandri Magni singularis prudentia in audiendis legatis secundum causarum gravitatem], ne populus populo, urbs urbi, regnum regno videretur antelatum . . .

De sessione contentiones.

Remedium — temporis praerogativa.

Prudentia legati in hac re.

Alexandri M. prudentia.

Caput VI.

Exponendi mandati fides. [nn. 58.]

3. nihil itaqe legato nostro prius, nihil potius sit, quam ut summa cum fide mandatum exponat. [13. Improba mandata non suscipienda.] 16. In absolutis & plane liberis mandatis . . . nihil est, quod ambigamus. 17. In aliis, etsi diversi diversa sentiant, neque posse, neque debere legatum praescriptos mandati fines transgredi . . . 30. Nihil itaque ex sese posse neque debere in mandatis praescriptis vel corrigere legatum, etiamsi occasio & res aliud suadeat, liquido constat . . . [33. Andr. Gaillii opinio rejicitur]. 44. Illud autem remedium in hoc re tutissimum, teste

Mandata fideliter exponenda.

Remedium.

ipso Gaill, *d. libro [1. de pace publ.] num. 31,* ut si evidens vel utilitas vel melior ratio mutandi mandati causam suaserit, consilium prius mittentis, si interea loci fieri possit, exploretur, quam missus quicquid aliud suo arbitrio agat. Praestat enim nihil omnino agere, & re infecta domum reverti, quam aliud agere, quam praescripti ratio ferat . . . 55. Sed & contra fidem legationis agit, qui cum ob negotia publica missus, privata alia negotia intermiscet . . . Privata negotia publicis non miscenda.

Caput VII.

Oratio legati. [nn. 67.]

[10. Brevitas sermonis omnibus grata.] 22. Sed hoc non tam praeceptis, quam prudentiae oratoris committendum, ut perspiciat ipse facile, quas quibus auribus afferre chordas ac cantus debeat; quando breviore, quando longiore, quando floridiore, quando graviore sermone utendum . . . . 26. . . nostrone an idiomate peregrino in exponendis mandatis utamur? Quid vero dubitamus? Annon & vestem & ceremonias & gestus salutationis rejecimus? qui vero linguam externam assumemus? Cum majus ex linguae alterius usurpatione subjectionis indicium, quam ex illis oriatur . . . 41. Neque enim illa lingua *[sc. latina]* ut peregrina aestimanda Germaniae est, quae in locum vicemque omnium gentium domicilii, in quo latina lingua imperitavit toti orbi, successit, neque minus nos Romani cives sumus, *l. Roma ff. ad municip.,* quam olim Latini fuerunt. 42. Unde ad exteros Germani emissi, aeque latina ac germanica lingua utimur utraque quasi propria, hac ex nationis & patriae jure, illa ex Imperialis successionis & veteris urbis jure . . . 50. At quid linguam expedit habere in promptu, nisi & animus & rerum discendarum felicissima memoria adsit? . . . 66. Lapsis memoria neque rem ut oporteat declarantibus concedendum, ut saltem instructiones suas recitent . . . Brevitas. Prudentia oratoris. Qua lingua utendum? Latina peregrina non est. Memoria dsit legato.

Caput VIII.

Responsa legatis danda. [nn. 109.]

19. Quemadmodum igitur legationis jure urgeri possunt, ut legationis titulum professi & admissi causam missionis suae dicant, & cogi ut mandata, si tergiversari velint, exponant, . . . 21. ita & vicissim responsionis postulari & commode ac opportune ur- Responsio postulari potest.

geri debita redditio eodem jure potest: praefiniri autem . . intra
Quid si cito non datur? certum dierum metam nequit . . . 29. At quid si longiori mora
trahamur, discedendumne erit? Minime vero, sed omnia ante
Dolus abesse debet. consiliis & prudentiae armis experienda . . . [41. Fraus & dolus
abesse debent], maxime vero a legationum conventionibus, quae
ex simplice & candido gentium jure ac more dependent . . .
43. . . legationes etsi hostium sint tamen non ut tractationes
hostiles, belli jure, sed legationis jure, quae sequestra pacis &
belli est, haberi ita, ut in illis fides mandati candide & syncere
Ad callidas gentes cautus mittendus. expositi fidem responsi syncere & candide dandi obliget, Livius,
lib. 22. [47—50. Galli, Hispani, Moschi callidi. 56. Superbe
Quo ordine respondendum? postulanti superbe respondendum. 61. Literis accepta responsa.
71. Responsa quo ordine fiant.]
Subscriptio & sigillum. 78. Subscriptio & sigillum; an cogere iure queat ad sigilli
& subscriptionis appositionem? 83. Subscriptio quomodo fiat.]
Utrumque non ex jure gentium. 100. Sed . . . quid de legatorum subscriptione & sigillo judi-
candum? Civilis iuris observationibus legatis commercium non
teneri jam saepius dictum. Est autem & subscriptionis & sigilli
addendi consuetudo non in gentium jure, sed tantum in singu-
lorum quorundam populorum moribus & ritibus posita, ut etsi
Romani, etsi Babylonii aliique literis suis utrumque confirmandis
& approbandis adhibuerint, non tamen omnium gentium vel ho-
Quid legatis faciendum? dierno etiam usu sit receptum. 102. Moribus autem suis debere
perpetuo vivere legatum multoties jam ante clamavimus; ita
quidem, ut si subscriptionis quidem, non autem annuli signatorii
jus & usum noverit, cogi ad alterius regni mores & instituta
non possit: 103. quemadmodum neque ad legati mores & con-
suetudines, civilesque constitutiones adigi observandas in foede-
ribus & pactis ineundis ille potest, ad quem legatus missus . . .
104. Illud tamen legato non praetermittendum, quin summo stu-
dio curet, ut si juris & moris sit apud illos, ad quos missus est,
literis subscriptiones & sigillum apponere, sine subscriptionibus
& sigillis literas nullas accipiat, etsi ipsius literae more suae
Cerae color. gentis utroque careant . . . 106. Est enim & in cerae colore
haec differentia, ut alia privati iuris, alia publicae auctoritatis &
majestatis sit . . .

Caput IX.

Dimissio legati. [nn. 136.]

Discessio non dilatanda. 1. . . de discessu honorifico cogitemus. 2. Nec enim, responso
accepto, diutius legato fideli . . . apud exteros herendum [16. Le-

gatus non potest moram suam privatorum negotiorum tricis excusare.] 17. cum & provinciali legato foris domum emere senatusconsulto interdictum, *l. legatus ff. de legat.,* 18. multo vero minus legatus vel merces adducere vel abducere mercaturae gratia potest, etsi alii comitati iter legationis id facere possint, ut mercibus commutandis studeant, *l. 4 C. de commerc...* 22. Emptione autem earum rerum, quae proprium in usum & necessitatem conferuntur, legato ob senatusconsultum non abstinendum: 23. providendum tamen, ut nominibus factis ante abitionem omnibus satisfaciat: 24. de omnibus enim contractibus, quos tempore legationis legatus init, iudicium accipere non inique cogitur, *l. si legationis, 25 ff. de iudic.* 25. conveniendus coram judice ejus loci, in quo contraxit, cui sese per contractum, uti etiam per delictum, cum alias subjectus non esset, obnoxium fecit. 26. Illud autem & jus gentium & naturalis aequitas dictat, quod Julianus *d. l. 15* rationis ergo addit, ne potestas legatis sit, immunitatis specie, res alienas domum auferendi . . .

Mercatura legato prohibita.

Judicium accipere cogitur.

Ubi conveniendus?

36. Dabit autem noster operam, ut non solum mature, sed etiam ut honorifice dimittatur... [37. Honorifica autem dimissio non semper eadem.] Nec enim cum tanta honorum exhibitione dimittuntur hostium legati, quanta vel amicorum, vel confoederatorum, vel comiter observantium, *l. 7. ff. de captiv.* honorifice tamen uterque dimittitur, si eo modo, quo dimitti quisque id genus legatorum solet . . . [38—45. Quomodo hostium legati dimittuntur.]

Honorifica discessio.

46. . . . & dimissionis munera Legatis exhibere solent. Verum quid hic legato nostro dandum consilii? multa enim honeste quidem offeruntur, quae tamen honeste non accipiuntur... [55. Venetorum lex de non accipiendis muneribus.] 58. Sed haec... ex Curiorum domo disciplina videtur potius emanasse, quam ex veteri legationis jure, moribusque gentium defluxisse. 59. Vetustissimus enim gentium prope omnium mos fuit non solum per legationis commercium munera a missis ad se accipere, sed etiam tum mittentes, tum missos ἀντιδώροις vicissimque datis donis prosequi... 71. Nec vero Romani solum exterorum legatis offerebant, sed etiam ab aliis oblata dona accipiebant, Livius, *lib. 39.* Nam eadem non accepisse valde inhumanum, ac nimium insolens, morosum ac incivile fuisset . . . 88. Esse autem illa dona, quae legationis intuitu, & quae hospitalitatis jure praestantur disjungenda... 92. exacte publice, h. e. legationis jure data & privatim, h. e. hospitii & benevolentiae jure

Munera legatorum.

Lege Venetorum vetita.

Vetere legationis jure permissa.

A Romanis accipiebantur.

Munera, quae hospitalitatis jure dantur.

Cui cedant?

donata distingui, illoque publico commodo, haec privato cessisse . . . 93. Sed neque illa, si vel caeterarum gentium moribus, vel etiam juris civilis aequitate rem istam decernamus, quae legationis jure legato, citra privatae familiaritatis & hospitii respectum donantur, vendicari a mittente poterunt, nisi nominatim & expresse eo nomine data fuerint, quod ad eum, qui legationem miserit, sint perferenda, aut ea munerum qualitas sit, ut ex ipso aspectu vel raritatis . . consideratione, non legato, sed legationis domino oblata esse appareant . . 103. [Munera temere non repudianda.] Quorum omnium magnificentissima illa merito habentur, quae soli virtuti ac honori compendio vertuntur, [non in auro & argento consistunt, sed in ornamentis] solius gloriae ac honoris posita sint. [Kirchnerus ab Imperatore corona poetica donatus, Joh. a Meisenbuch in Anglia legatus doctorali apice atque infula ornatus.]

Munera honoratissima.

De reddendis muneribus.

Munera publica, spontanea & remuneratoria.

Munera privata.

104. [De reddendis muneribus.] Munera a legato quae dantur sunt aut publica aut privata. Publica, quae illi ad quem missus, nomine mandatoris sui offert, eaque vel spontanea, vel remuneratoria . . . Solent utraque legationis mandato inesse, imo vero causam missionis nonnunquam solam habere . . . 121. Privata autem munera legatorum munera sunt, quae ipsi privatim discessuri referunt illis, per quos ab eo, ad quem missi, honorati.

Legatus domum rediens.

122. Sed . . . qua domum redeundum sit, videamus . . . 123. Ut igitur majori non solum honore, sed etiam voluptate iter facias, dabuntur non solum duces eunti ac comites, certa qui ostendant itinera, Livius, *3 belli punici secundi,* sed etiam literae & mandata ad urbium praefectos & praesides, ut non solum viatica praestentur, sed etiam omnia, quae per provincias visu & cognitu relatuque digna sunt, tibi ostendantur... 125. ut armamentaria, turres, & praesidia, arces ac castella, & si quae alia ἀξιοθέατα fuerint... [130. Thesauri legatis non ostentandi.]

Caput X.

Renunciatio. [nn. 53.]

Extremum legati officium.

22. [Dignitas munusque legati non sub porta civitatis, sed in loco curiae] per renunciationem, quae extremum legati officium continet, deponitur, neque ante renunciationem exuit publicam reipublicae personam legatus, neque jura & immunitates suas amittit.. 26. Est autem renunciatio omnium in legatione gestorum apud mittentem missi solenniter facta commemoratio.

Renunciatio quid sit?

27. Legationis autem gesta intelliguntur hic ea omnia, quae non solum ad mandati expositionem & auditionem ac responsionem pertinent, sed etiam quae ad honorificam exceptionem, ad munerum donationem, ad mores & ingenia eorum, ad quos & per quos missus, ad eorundem imperia, ad opes & potentiam, ad vectigalia, ad leges & statuta attinent . . . 42. Nihil autem renunciator fidelis simulare, nihil dissimulare debet, sed omnia candide & syncere referre, quaecunque referri reipublicae interit . . . [45. Praemia legatorum.] 52. . . At tu noster Orator opere perfecto tace, & si nihil aliud hoc, Taciti verbum praemii ac solatii loco habe: *Suum cuique decus posteritas rependet.*

Renunciatio fidelis.

Praemia legatorum. Operis conclusio.

Quaestio vetus et nova.

1.

Quaestio vetus, et nova: | An Legatum adversus | Principem vel Rempublicam ad quam missus est, delinquentem saluo Jure- gentium capere, retinere, | ac punire liceat? Parisiis, | Excudeb. Dionysius Langlois | sub signo D. Joannis, via | Jacobaea. | 1606.

[In - 8° pp. 59.]

[**B. N.** Inv. *E 2361; **Oxf. B.** A. 1. Jur. 135. Exemplar Richardi Zouch.]

2.

Quaestio | vetus, et nova: | An Legatum | adversus Principem, vel | Rempublicam ad quam | missus est, delinquentem salvo Juregentium capere, retinere, ac punire | liceat? Nunc primum in Germania | typis edita. Argentorati, | Sumptibus Lazari Zetzneri Bibliopolae. | Anno M. DC. VI.

[In - 8°. Cum dedicatione editoris, L. Zetzneri & epigrapho ex Cicerone, de oratore.]

[**P.** X $^{XV}/_{8}$ 127. Pagina ultima huius exemplaris est pag. 50, posteriores desunt.]

edit. Paris p. 3 *edit. Argent. 3* [Incipit] Humana societas vt augustissimo Legatorum munere plurimum iuuatur ac fere sustentatur; ita scelerum impunitate eadem convellitur ac labefactatur . . . Proinde ea circumspectione propositam quaestionem . . . tractabimus, vt nec Legatorum dignitatem autoritatemve oppugnare aut minuere, nec rursus flagitiorum licentiam augere aut fenestram ad ea aperire velle videamur. [Legationum utilitas; legatorum sanctitas; eorum p. 11 *14* privilegia. Sed] legatos tamdiu legationis iure sanctos censeri &

inuiolabiles quoad publicam causam ex fide tuentur, ministerium delegatum candide & sincere exequuntur nec vlli alij rei occupantur quam quae partium suarum est. . . . Caeterum si sacro- p. 12
sancto munere ad turpissimum proditionis, defectionis, seditionis aliusque criminis ministerium abutantur, et sub specie publicae administrationis quocunque pacto majestatem Principis, ad quem mittuntur, laedant, ejusque statum & Imperium turbare ac subvertere hostiliter tentant, con|stanter & audacter asserimus, Le- 15
gibus, sine quibus erubescimus loqui praesertim in re tanti, rationibus & probationibus exemplis freti, eos nulla admissa privilegii iurisve gentium exceptione, licenter capi ac detineri, quinetiam causa cognita et legitimo iudiciorum tramite decurso convictum, condemnari ac puniri posse et debere. Et | quod de p. 13
legatis sentimus, idem multo magis de Comitibus eorum . . . . Equidem mirari satis nequeo, etiam Jureconsultos inveniri usque adeo inconsultos, ut nodum in scirpo quaerant, et hac de re consulti titubanter respondeant: quasi lis adhuc sub Judice sit, & in medio relicta. [Legati privilegia perdunt: *Dist. 74. c. ubi; l. 1. C. ubi Sent.*] Accedit his manifestum Pauli *l. 24 ff. de jud.* hac de re consulti responsum, quod nec offuciis nec inficiis ullis eludi potest, cujus haec sunt verba: Legati ex delictis in legatione commissis coguntur Romae judicium pati, sive ipsi admiserint, sive servi eorum. Nec moramur quod argutari licet 16
in | ea lege Paulum non agere de legatis hostium foederato- p. 14
rumve, sed de provincialibus sive municipalibus, quibus cum Roma communis patria sit, atque adeo forum competens, mirum non est, si ibidem conveniantur. Huic enim cavillo sic respondemus: utrobique eandem esse rationem atque adeo idem jus: *l. illud fi. ad l. Aquil. l. Titio ff. de verb. oblig.* nam quod his patriae communio, hoc illis sceleris contagio tribuit, nimirum ut jus revocandi domum utrique amittant, cum fori praescriptio nulla sit in delictis, tritum enim et notum est, ibi quemque conveniendum ubi deliquit vel ubi reperitur. *l. 1 c. ubi de crim.* Quod si ex delictis conveniri possunt legati, quanto magis ex criminibus: quae ut semper ipsam Rempublicam feriunt, ita saepe irritamenta sunt cladium & | illicia bellorum. Praeterea etsi re- 17
ligione jurisgentium nullum impedimentum objici legationi debeat, tamen si rem mobilem tempore legationis possidere coeperit legatus, cogitur ejus nomine judicium accipere: *l. 25 ff. de jud.* aliter enim, inquit Julianus, potestas daretur legatis sub hac specie res alienas domum auferendi, quod aequitas non patitur...

Quod si privato legatus auferre non potest, quod debet privilegii sui velamento, quanto minus Reipublicae sive Imperio cui se delinquendo obstrinxit, debitas poenas auferre poterit jurisgentium tutela & colore? . . . Et alias responsum est *l. eo facto ff. de vulg. s.* desinere beneficium Principis, cum incipit esse
p. 16 18 iniquum . . . Nec arcana alieni regni scrutari convenit, ut respondit Imperator Honorius, *l. 4 C. de commerc.* tametsi legem
19 et rationem vicerit hodierna legatorum ordinariorum (quorum et nomen et usus veteribus fuit penitus ignotus) consuetudo atque adeo illicitum fecit licitum. *N. de sanctiss. Episcopis § sed neque, curialem.* Quod si punitur legatus legationem deserens, ex causis jam relatis, quid, quaeso, de eo statuendum, qui, legati persona obductus, . . . mente proditoria Principi, ad quem mittitur, insidiatur . . . subditos a debita legitimo Principi obser-
p. 17 vantia, soluta jurisjurandi religione abducit. . . An hic legatus habendus & quidem sacrosanctus? An hic legationem non vide-
20 bitur deseruisse? Huic profecto-monstro (si tamen eiusmodi inueniatur) non parcendum vt alieni imperij oratori caduceatorive, sed vt nostri populatori salutisque publicae foedissimo nundinatori nouissimis ac crudelissimis quibusque supliciis ob-
p. 18 uiam eundum . . . Non enim est crudelitas iugulare crudeles . . . Quinimo par propemodum culpa est eius qui tantam iurisgentium iniuriam inultam relinquit & illius qui eiusmodi scelera patrando iusgentium violat, hic est humani foederis ruptor & reipublicae euersor, ille iurisgentium contemptor & publicae causae desertor.

Legumlatores etsi nulla crimina innoxia permittant, solicitius tamen cavent futura, & delinquendi occasionem omnem au-
23 ferre student . . . Ergo quo solicitius eorum *[legatorum sc.]* securitati consulitur, pluribusque ornantur privilegiis, si in Reipublicae detrimentum & politicae societatis necem saluberrimo gentium invento abutantur, eo pluribus poenis percellantur . . .
27 intelligent tantisper se sanctos esse & tutos meare, morari ac remanere, donec sancte, innocenter & honeste vixerint. [Si
28 autem] sceleribus legationis sacra profanat, hic sane non orator, sed explorator, non explorator, sed hostis, imo non hostis, sed hoste pejor, proditor existimandus est, & ferro flammisque absumendus.

Quamobrem, ne in flagitiis quoque jurisgentium auxilium sperent legati, meminisse oportet: Jusgentium reciprocum esse
p. 21 25 & tam violari a legatis, quam in legatis . . . Exemplorum copia,

nos inopes facit tam recentium quam priscarum historiarum . . .
[Exempla.] . . . quemadmodum ipsi Principi qui aditur sancta p. 26 31
esse debet persona legati: Ita e contra ipsi legato sancta esse
debeat persona Principis eiusque imperium, ne alius ius vnius
fiat iniuria alterius . . . Quod si injuriam nobis illatam in legato 33
nostro a Principe externo, in persona ejus legati, quem ad nos
mittit, ulcisci licet: quanto aequius idipsum constituimus, ubi non
a principe mittente legationem, sed ab ipso legato misso offen-
dimur . . . ibi alienam, hic propriam legatus luit culpam . . .

Caeterum evellendus nobis est hoc loco error, qui quorun-
dam animis insidet, dum . . . non animadvertunt, aliud longe
esse, legatum violare, aliud legatum punire: . . hoc iuris, illud 34
facti nomen est. Leges itaque & iura sive singularum sive uni-
versarum gentium illud prohibent, hoc non . . . Quae omnia
quis non videt ad privatam ultionem & damna injuria data spec-
tare, non ad juris executionem, quae injuriam non habet . . .

Ad haec utriusque Juris regulae monent privilegia ita esse 35
interpretanda, ut ius commune non laedatur . . Atqui natu-
ralis ratio constituit inter omnes gentes, ut delicta puniantur,
unde primum Jurisgentium praeceptum est: punire sontes . . .
Cum ergo legatus delinquens, jurisgentium debitor fiat, [debitum 35
suum persolvere cogitur]: Juregentium sanctus habetur, Jure- p. 33
gentium quoque delinquens obligatur ad poenam: at illud est p. 34
priuilegium, hoc ius commune, atque adeo merito illud huic
caedit . . . Quod si privilegium legatorum eo usque producere
placet, ut grassaturae eorum & scelera Sacrosancta censeri de-
beant, & impunita abire . . . impune licebit finibus nostris ar- 37
cere legatos, & penitus non admittere, cum ab injuriis eorum
cavere aliter nequeamus, quam si ipsis aditum ad nos nostraque
negemus. Et sic dum jusgentium tuemur, jusgentium violamus:
Dicere enim publice illatam injuriam armis & collatis signis esse
vindicandam, non est ratio: cum longe satius & consultius sit,
publica mala unius facinorosi poena, quam . . . ancipitis Martis
judicio expiari & emendari . . .

Verum quod de legatis affirmamus, idem magistratus argu- p. 37 40
mento probamus. *[Magistratus puniuntur.]* Postremo clerici, p. 40 43
diuino & humano iure non minus sunt sacrosancti, quam vel
legati vel magistratus politici . . . Verum tamdiu gaudent pri-
vilegiis quamdiu servant ea quae suae sunt professionis . . .

Reliquum nunc est vt argumenta quaedam diluamus ac con- p. 41 44
futemus, quibus & nostra sententia conuelli & aliorum firmari

posse videtur . . . Occurrunt nonnulli . . . qui nobis assentiuntur, legatorum scelera impunita esse non debere: Verum non retinendum, ajunt, sed remittendum cum elogio ad suum Principem: idque & Reipublicae utilitati, & Juris auctoritati congruere magis probant: Illud ob vitandam Jurisgentium violati . . . suspicio-
45 nem . . . Hoc, quia vetant leges quenquam sibi ipsi jus dicere: *Julianus, ff. de judiciis . . .*

46 Respondeo, cum nostra intersit potius non solvere, quam solutum repetere, *l. 3 ff. de compens.* . . . tam incaute redditur, quam improbe repetitur. Nec video cur remittendus sit: . . .
p. 43 non est quod magnopere moremur exterarum gentium de ea re [sc. an reus sit] iudicium, famamue. Quid enim si puniendus remittatur legatus & Princeps cuius est legatio, negligat vltionem, vt plerumque euenisse testes sunt annales tam prisci quam
47 noui . . . Quod autem ad repugnantiam Juris attinet: negamus personas confundi: cum non Princeps, laesus sibi ipsi, sed legitimi magistratus, quorum haec notio est, Principi & reo hoc casu jus dicant, *[aliter]* omnis perduellio a quocunque admissa impunis erit.

48 Sunt alii . . . qui legatorum sceleribus usque eo patrocinium suum locant, ut non modo excusandos censeant, sed & defendendos suscipiant: quorum ut major est numerus, ita & plures rationes & objectiones, quibus ordine faciemus satis.
p. 46—58 [Rationes & objectiones refutantur.]
p. 59 Quae cum ita sint, concludimus Legatum delinquentem (ac multo magis comites eius) citra iurisgentium iniuriam contemptumve licenter capi, retineri, ac puniri ab eius Principis magistratu, cuius majestatem laesit.

Herm. Kirchner (Respondens: **Nic. a Zedlitz.**)

Disputatio **De legatis.**

1.

Respublica Hermanni Kirchneri Methodicae disputationis acie tum veterum, tum recentiorum Politicorum Jurisconsultorum opinionibus candide et probe excussis. | Nobilissimae Juventutis Acad. Marpurg. exercitii gratia proposita. | Editione altera, amplificata et aucta plurimum. | Cum indice locupletissimo. | Marpurgi Cattorum. | Ex officina Rodolphi Hutwelckeri. | Anno Domini CIↃ IↃ C IX.

[In - 4°; (ff. 4 = Dedicatio Dn. Ottono, Landgravio Hassiae an. 1608) + pp. 252 + Index. Disputatio X **De Legatis** pp. 128—135.]

[**P.** XI $^{22}/_{2}$ 445 ^{2}.]

2.

Hermanni Kirchneri . . . **Respublica:** ad disputationis aciem methodice revocata... Editione tertia... Marpurgi, Typis Egenolphianis. CIↃ IↃ CXIV.

[In - 4°. Dedicatio Dn. Ottono an. 1614 & dedicatio prima an. 1608. Disp. X De Legatis pp. 156—164.]

[**Basel** N. a. VI, 12. **P.**]

Disputatio X De Legatis. Respondente Nicolao a Zedlitz, Silesio.

[Continet theses IV, quae in notis explicantur, & Corollaria VI:]

Thesis I. Proximi superioribus in Reipubl. munere Imperii experte (a) Legati sunt, quorum ingenio industria ac opera in publicarum rerum foris suscipiendis tractationibus opus: quorum alii ad (b) exteros ac hostes missi, qui feciales nominantur, publico (c) gentium jure inviolabiles (d) mittuntur (e admittuntur & (f) remittuntur: alij vero provinciales (g) habentur, quibus hodierni deputati, (h) ut vocant aequiparandi. [Sequuntur notae: a, b, c . . .]

II. [Legatorum electio.]

III. [Officum legati mandata exsequi et responsa referre.]

IV. [De praemiis et poenis legatorum.]

Corollarium I. Morvillerius, Ludov. regis XI Galliae cancellarius, ad Philippum Bonum Burg., ducem missus, παραπρεσβείας reus factus, quod plura fuerat locutus, quam jussus erat: unde calamitosissimum belli incendium obortum, Comin. *lib. I com.*

II. Eundem regem non iniuria irrisum fuisse, quod Olivarium tonsorem splendidissimo legationis muneri in Burgundiaca domo obeundo adhibuisset, *Com. lib. 8.*

III. Hermolaus Barbarus acceptando in legatione Venetorum ad Pontificem hospitalia munera, legem Venetorum contra δωροδοκίαν legatorum latam non violavit . . .

IV. Foemina etsi possit iure potestatis, quam per gynaecocratiam obtinet, legationem mittere, mitti tamen in legatione non potest . . .

V. Carolus V. Imp. potuit Galliae regis legatos ad Portam Ottomanicam missos intercipere. *Leg. nost. c. 8.* Reclamat Bodinus *lib. 5 de rep. n. 618.*

VI. Amyntae, Macedonici regis caedes in legatis Persicis perpetrata jus gentium quam maxime violavit, nec ullo modo excusari potest. [Nota: . . . „vulgo omnes dissentiunt et jus gentium cum facto non recte conferunt.“]

Carolus Cantoclarus.

Excerpta de Legationibus, ex Dexippo Atheniense. Eunapio Sardiano Petro Patricio et Magistro. Prisco Sophista. | Malcho Philadelphensi. Menandro Protectore. Haec **Carolus Cantoclarus** in S. Regis Christianissi|mi Consist. Cons. & libellorum supplicum Ma|gister è Graecis Latina fecit & Notis illustra|uit. Parisiis, | Apud Petrum Chevalerium, in | monte Diui Hilarij. M. DC. IX.

[In - 8°; (ff. 8) + pp. 401.]

[**Oxf. B.** Douce.]

2.

Excerpta de Legationibus . . . & notis illustravit. Parisiis, apud Abrahamum Saugrain . . . M. DC. X.

[In - 8°; (ff. 12) + pp. 401.]

[**Br. M.** 595. d. 1.]

[In editione an. 1609 *fol. 2—3a:* Dedicatio Cantoclari patris Renato & Petro filiis. *fol. 3b—4b.* Ex Codice Manuscripto Augustano. Quomodo oportet legatos admittere aut legatos mittere. Cantoclaro interprete. *fol. 5a—7a.* Argumentum Collectionis de Romanorum legationibus ad Ethnicos. Prooemium. Cantoclaro interprete. — . . . Constantinus Porphyrogeneta . . . optimum esse iudicavit et ex utilitate publica . . . alios aliunde libros omnis generis scientiae refertos, per universum terrarum orbem colligere. Deinde . . . existimavit oportere historiae commentarios in breviores partes contrahere . . . Ad haec . . . quinquaginta libros . . . per classes et hypotheses distinctas et differentes dividendos censuit . . . . Inter istorum locorum communium et hypotheseon capitula, caput inscriptum de legatis Romanorum ad Ethnicos, erat ordine vicesimum septimum . . . Sunt vero desumpta ex his chronicis quae subijciuntur. Primo ex Petro Patricio et Magistro: Secundo ex Chronico Georgij monachi, tertio ex Joanne Antiocheno, quarto ex Dionysii Halicarnassej de Antiquitate Romana, quinto et sexto ex Polybio Megalopolitano, et Appiano, septimo ex Zozimo Ascalonita, octavo ex Josepho de Antiquitate Judaica, nono ex Diodoro Siculo, decimo ex Dione Cocceiano, undecimo ex Procopio Caesariensi, duodecimo ex Prisco Rhetore, tertio decimo ex Malcho Sophista, quarto

decimo ex Menandro Protectore, decimo quinto ex Theophylacto Exconsule et Contrascriba Simocatto.

[p. 1.] De Legatis Gentium ad Romanos.

Quos legatos Imperatorum Romanorum Ethnici admiserunt, qua forma eos exceperunt, & quae in illis admittendis observarunt. [Sequuntur excerpta:] Ex Historia Dexippi Atheniensis . . .

[p. 374.] Cantoclari in Excerpta notae.

. . . In illis *[sc. excerptis]* enim cernere est, ab hinc mille annis, in legationibus usurpari solita, quae hodie quoque inter nostros Principes usurpantur. Multa praeterea continent cognitione digna . . Neque vero legationum cognitio, in reip. administratione parui momenti est. Etenim omnia quae inter Principes foris contrahuntur, imò et domi pleraque per legatos administrantur, quae qui noverit, omnem reip. administrandae rationem teneat consequens est. Vere equidem Cicero: Legati sunt nuncii pacis et belli, curatores, interpretes bellici consilij, authores, ministri muneris provincialis. Itaque haec Excerpta de legationibus lubenti animo Latina fecimus . . .

[Vide etiam Corpus Scriptorum Historiae Byzantinae ed. B. G. Niebuhrii, Pars VI. Bonnae, 1829. In-8° pp. XLVIII + + XVI + 559. — Pp. XXXV—VI Excerptorum de legationibus ratio explicatur; pp. 529-556 Henrici Valesii notae in excerpta Constantini Porphyrogenetae de Legationibus.

Cf. Anecdota Bruxelliana. III. Le „Codex Schottanus" des Extraits „De Legationibus" par Charles Justice. Grand, 1896, 8° (Université de Gand. Recueil de travaux publiés par la Faculté de Philosophie et Lettres. Fascic. 17.]

M. Wolfgang Heider (Praeses)

Joh. Ernest Krosnitzki [Kärnitzki].

Exercitatio Politica De Legationibus. Quam ex selectis quibusque autoribus Politicis & JCtis congestam . . . moderante praesidium . . . **Dn. M. Wolfgango Heidero** . . Publicae evolutioni offero **Johan-Ernest. Krosnitzki Kärnitzki dictus;** Nob. Siles. [Sept.] A. M. DC. X. Jenae, Typis Lippoldianis.

[In - 4^0; Reg. A_1—B_3 + carmina in laudem auctoris.]

[**M. HB.** Diss. 2968 (7).]

[Dedicationem subsignatam: „Resp. Auct." sequuntur 100 theses, breviter enunciatae, adductis interdum legibus & auctoribus, qui de legatorum materia scripserunt: Le Vayer, Gentili, O. Magio, C. Paschal, Kirchnero aliisque.]

Joh. Kirchmann

(Respondens: **S. Fr. Witzendorff**).

Disputatio Politica De Legatis, et Legationum Jure. Quam sub praesidio V. Cl. **Joannis Kirchmanni** . . . 24 April. In Collegio privato discutiendum Proponit **Statius Fridericus Witzendorfius** Luneburgensis, Rostochii, Typis exscripsit Joachimus Pedanus Anno CIↃ. D. CXIII.

[In 4^0; Reg. A_1—B_4. Theses 54.]

[**M. HB.** Diss. 2968 (6).]

Christ. Besold

(Respondens: **Burckh. Ehinger**).

De Legatis, et item de Republica augenda. Collegii Politici . . . Classis Posterior, De republica in omnibus partis gubernanda IX Disputationibus tractans. De quibus sub directione **Christophori Besoldi** . . . Juvenes . . . privati exercitii gratia responderunt . . . Tubingae, Typis Joan. Alexandri Cellii. Anno M. DC. XVI.

[**P.** XI $^{XXIV}/_{1}$ 9.]

[Cujus **Collegii Politici** Disputatio VIII inscribitur:]

C. D. Hanc Collegii Politici Classis posterioris Disputationem Octavam, **De Legatis, et item de Republica augenda,** Praeside Dn. **Christophoro Besoldo** . . . Ordinarii exercitii gratia ad diem XXVI Augusti Discutiendam proponit **Burckhardus Ehinger** . . . M. DC. XIV.

[In-4°; pp. 18. Theses 49, ex quibus 1—24 (pp. 1—7) de Legatis, posteriores 25—49 de Republica augenda tractant; pp. 15—18 Corollaria.]

[Summarium: Thesis I. Introductio. II. Definitio Legati. III. Divisio Legatorum. IV. Qui mittere possunt. V. Legatorum legendorum ratio. VII. Cogi potest ut legationem suscipiat. VIII. Legati publico gentium jure inviolabiles. IX. Securitas recedendi. XI. Violatori Legationis talio reddi haud facile debet. XII. De foro Legatorum. XIII. Legati ad hostem missi an intercipi queant? XV. „Legatus itidem delinquens (ac multo magis Comites ejus) citra juris gentium injuriam contemptumve licenter capi, retineri ac puniri potest. *[Anonymo assentitur.]* Ipse enim prius qui laesit jus gentium indignus est, ut ipsi servetur juris gentium fides“ . . (p. 5) XVII. Privilegia Legatorum inter cives. XVIII. Legatorum partes mandatum fideliter exequi. XIX. An fines mandati transgredi licet? XXIII. Legatorum praemia & poenae. XXIV. An munera accipienda?]

Oporinus Grubinius [Kaspar Schoppius].

Oporini Grubinii Legatus Latro, Hoc est: Definitio Legati Calviniani, ex qua Catholici Reges ac Principes, quantum Calvinianis Legatis fidei habere debeant, coniicere possunt. – Item **Relatio de Latrocinio,** quod Regis Angliae Legatus **adversus Gasp. Sciopium** Madriti nuper suscepit, undecim percussoribus ad eius caedem constitutis, deque miraculoso auxilio, quod B. Virgo eidem Sciopio praestitit. — *Permissu superiorum.* Ingolstadii, Ex Typographeo Ederiano . . . Anno M. DC. XV.

[In - 12°; (fol. 1 = Titulus) + pp. 69.]

[**Br. M.** 1020. a. 9.]

[p. 1.] Cum ante aliquos annos Henricus Wotonius Angliae Regis ad Venetos Legatus Augustam Vindelicorum transiret . . . . hanc legati definitionem in mercatoris cujusdam Augustani libro (velut in Scioppii Ecclesiastico cap. IV videre licet) perscripsit: *Legatus vir bonus peregre missus ad mentiendum reipublicae causa.* [p. 3 Postea iactabat] se ioco quidem ita scripsisse, in definiendo tamen Legato nihil mentitum esse. [p. 4] *Definitio haec* (inquit) *adeo est Catholica* sive universalis, *ut complectatur etiam Legatos a latere.* [p. 5. Sed nemini ignotum] Catholicos mendacium pro mortali peccato habere . . . [p. 6] Sed aliud est verum non dicere aut propter iustam causam obscuris et ambiguis verbis inuoluere, aliud Falsum affirmare, et ex proposito ac quotidie (velut iste Legatus Anglicanus Venetiis factitabat) mentiri. [p. 7 Definitio Wottonii emendanda et sic legenda: *Legatus Calvinianus vir bonus etc.* p. 8. Rex Angliae anno 1609 librum edidit in quo ecclesiam catholicam impugnat. p. 11] Et pag. 99. 103 & 109 Reges Catholicos ait a Jesuitis discere perfidiam, verborum dolos & imposturas, & erga subditos Tyrannidem. [p. 12—13. Lutherum scriptorem suum fatetur esse Angliae rex. p. 19 - 23. Regis invectivae contra Scioppium successorem Wottonii, Angliae legatum in republica Veneta, eo perducunt, ut anno 1612 Scioppii vitam veneno adimere tentaverit, quo facto sibi favorem regis conciliare existimabat. p. 30. Definitio Wottonii aliter etiam emendanda: *Legatus Calvinianus* — p. 67 *„maxime Anglicanus“ — vir bonus peregre missus ad mentiendum & latrocinandum reipublicae causa.* p 31] Quominus autem ulla de hac re dubitandi occasio relinquatur, specimen ejus Latrocinii, quod Joannes Digvvius Regis Angliae in Hispania Legatus Madriti nuper aduersus Scioppii personam tentauit, commemorare libet . . .

Domin. van Arum.

Discursus Academici de Jure Publico... A **Dominico Arumaeo** D. editi . . . Jenae, E Typographeo Viduae Rauchmaulianae. Anno 1616.

[In 4°. **B. N.** Inv. F 14795; **P.** XI $^{XXIV}/_{1}$ 2.]

2.

Discursus Academici de Jure Publico... Volumen Primum. A **Dominico Arumaeo** . . . Jenae, Typis & sumptibus Johannis Beithmanni. Anno M DC XXI.

[In - 4°; ff. 351 + Index.]

[**P. Ac.** X Eg/34.]

Discursus XII. Auctore Dominico Arumaeo D. An legatus in Principem, ad quem missus est, conjurans puniri possit?

[*Editio an. 1616:* pp. 195–204; *editio an. 1621:* ff. 73–76.]

Discursus XIV. De legationibus & legatis. Auctore Matthia Bortio Wismar. Megapol.

[*Edit. an. 1616:* pp. 321–373; *edit. an 1621:* ff. 113–130 v°.]

Discursus XXIX. De legatis. Quem Praesidio J. Gryphiandri . . publice defendit Georgius Schubhardus. [*Edit 1621:* De legatis. Praeside Dn. Joanne Gryphiandro Respondente Georgio Schubhardo.]

[*Edit. an. 1616:* pp. 803–827; *edit. an. 1621:* ff. 266 v° - 274 v°.]

Discursuum Academicorum de Jure Publico . . . . Volumen Secundum a **Dom. Arumaeo** editum . . . . Jenae, Typis & sumptibus Johannis Beithmanni. Anno M DC XX.

[4° **B.N.** Inv. F. 14796; **P.** XI $^{XXIV}/_{1}$ 2.]

Discursus XXI. De legatis & legationibus M. Reinardi Könings *(sic)* J. U. C. [pp. 629–645.]

Discursuum Academicorum de Jure Publico . . . . Volumen Quartum a **Dominico Arumaeo** editum . . . Jenae *[iisdem typis].* Anno MDCXXIII.

Discursus XI. Auctore Johanne Gerhardo theologo. An Legato mandati fines transgredi liceat? [fol. 43 r°. & v°.]

Discursus XII. Auctore Johanne Gerhardo theologo. An Legati munera accipere possint? [fol. 44 r°. & v°.]

[Sequitur tractatus Dom. Arumaei; ceteri tractatus: M. Bortii, J. Gryphiandri, R. König & Joh. Gerhardi suo quisque ordine apparebunt.]

Auctore **Dominico Arumaeo** D. **An legatus in Principem, ad quem missus est, conjurans puniri possit?** p. 195

Legati tacita gentium omnium conventione securitate gaudent, *l. final. ff. de legationibus.* Legationum jus (ait *Cicero 3 in Verrem)* humano divinoque vallatum praesidio . . . quod an etiam tum obtineat, cum adversus Principem, ad quem missus est conjurationem ineat? nostris temporibus in Anglia ancipitem habuit dubitationem . . . & quidem pro negativa videtur hoc quod jam recitavimus, argumentum stare: Legatus inter hostium tela tutus esse debet; tutus ergo Hispanicus Legatus inter Anglos esse debuit, quia per conjurationem jam hostis Anglorum factus erat . . Deinde personam sui Regis, id est, Hispani sustinebat, Alber. 196
Gentilis *lib. I. c. 14 Hispan. advocationis.* Rex vero Hispaniae judicari a Regina Angliae non potuit: quia par in parem imperium non habet, *l. 4. l. 6. ff. de recept. arbitr.* . . . . hoc unum contendo (inquit Franc. Le Vayer *c. 6 de legatione*) impune Legatis licere, sive per fas sive per nefas, quicquid sibi abs Principe mandatum est, exequi ac perficere &c. [Exempla ex Procopio, Livio, Dionysio Halicarnass., Polybio, Guicciardino] . . . 197
metus est, ne idem in Hispania contingat Anglo, si Hispanum puniri permiseris . . . quod argumentum videtur collimasse Gentilis *lib. 2. c. 18 de legationibus* [non violandas suspicione legationes] . . . & si deliquisse legatum constet, remittatur ad suum Regem puniendus, ei enim & non Angliae Reginae suberat, Alb. Gentilis *lib. 1. c. 8 Hispan. advocat.* is ergo & non Angla eum judicare potuit . . . contenduntque nostri juris inter- 198
pretes, crimen laesae Majestatis a non subdito haud committi, Menoch. *lib. 1. cons. 99. n. 16 & seq.* Decianus *cons. 18.*

n. 320 vol. 1. quod in legato hoc Hispanico aperte respondit Alber. Gentilis *lib. 2 d. c. 18 de legationibus* . . .

. . . de Hispano ex jure supplicium sumi potuisse per subsequentes rationes contendo: jure gentium solo censetur Legatus, *l. ult. de legationibus.* Legatus ille Hispanicus in Reginam conjurans contra jus gentium egit, etiamsi sceleris effectu potitus non sit: quia id juris gentium esse censetur, quo gentes utuntur . . . gentium vero instituta moresque conjurantes, licet effectum non assequantur, puniunt [Exempla ex Q. Curtio, Justino, Plu-
199 tarcho, Polybio]. jus gentium ergo etiam punit conatum, & si non puniret, miserrima regum foret conditio . . . & lenitas Anglica Legatum alium ad similia invitaret de facili . . . & frustra mihi Legatus suum ostendit privilegium, quia id extra casum eum, de quo loquitur, non extenditur, Legatus autem ita demum legationis jure gaudet, si se Legatum, non proditorem osten-
200 derit . . . & jura violanti si jus non praestatur, ei non violari, sed jus reddi creditum est, ait Alber. Gentilis *lib. 2 de legat. 6.* imo in omni re utilitas publica excepta credi debet . . . excepta itaque erit & in legati privilegio, quod adversus Rempublicam ejusve utilitatem valere non potest . . . Deinde Legatus fines mandati diligenter observare debet, quos si excedat, non ut Legatus, sed ut privatus agit . . . & ideo cum Legatus Hispanicus aliud, nec enim a Rege suo id in mandatis habuit, fecit: ut privatus, non ut Legatus censeri debet . . . ut omittamus, cum qui plus potest, arctioris poenae metu constringendum esse . . . & non solum Legati, verum etiam ut Principis, ad quem missus,
201 in tuto sit salus, providendum est . . . atque ita casum hunc definit Paulus JCtus in *l. non alias 24 § 1 ff. de judiciis.* Legati ex delictis in legatione commissis (ait) coguntur judicium Romae pati: sive ipsi admiserunt, sive servi eorum: nec patior mihi replicari, textum loqui de Legatis provincialibus seu municipalibus: quia illi ut subditi Legatos ad Romanos non mittebant . . . atque in hanc sententiam editum est scriptum Electoris Saxoniae Johannis Friderici & Philippi Landgravii Hessiae advers. Brunswic. Henricum A. 1539. Haben aber ſolche Legaten (ait) in Zeit ihrer Legation etwas verwircket, betriegliche Sachen braucht oder gehandelt, ſo hat man ſie ohne Unterſcheid angrieffen, gefenglichen angehalten, ihre Brieffe erbrochen, und zu Zeiten geſtrafft etc.

Neque ab hac sententia nos dismovere debebunt illa, quae pro parte altera disputata sunt: nam primum & secundum argumentum procedit, si se Legatus, ut Legatum decet,

gerat, Legatum puniri nolumus; conjurantem plecti concedimus; Legatus inter hostium tela non conjurans tutus est; Legatus ab eo, ad quem missus est, judicari nequit, conjurans potest: nam per delictum forum, in loco ubi deliquit, sortitur, *l, 4 C. de commerc. & mercator., l. 2 C. quae res exportari non debeant* . . . quodque tertio oppositum ex mandato sui Regis debuisse id facere legatum, aperte falsum est, & fallitur vehementer Franc. le Vayer dum per fas & nefas Legato ad mandatum executionem grassari licere existimat. Legatus enim censetur jure gentium, *l. ult. de legationibus;* jus gentium vero [202]
vihil aliud est, teste Cicerone *1 de legibus,* quam ratio summa insita a natura, quae jubeat ea quae facienda sunt, prohibeatque contraria: turpia itaque ut illo jure non mandantur, sic mandata exequi licere Legato non permittitur [Exempla ex Guiccardino & Livio]. quod quarto objectum, satius nocentem dimittere, quam fidem publicam frangere, utique verum est, si nocenti fides data est: nam si Legato post conjurationem fides data est, ea servanda est, sed cum fidem, quam jus gentium ei dat, fregerit, ei ut foedifrago non recte fidem servari. [Exempla ex [203]
Polybio & Ayala]. Similiter & in quinto argumento jus collimamus; . . jus non permittit, ut Hispanus Anglum probum puniat, quia improbus Hispanus in Anglia punitus est; quod si secus fiat, violatur jus gentium: cujusmodi facta extra disputationis cursum sunt; nec suspicione violatur Legatus, quod arbitratur Gentilis, si puniatur Hispanus, quia utique de conjuratione constare volumus . . & vult Gentilis eum remitti, ergo de delicto constitit, qui ad suos remitti ex sola suspicione non debet. . . nec sola dimissio . . condignam criminis tanti punitionem habet . . . quia ut Cicero *3 de legibus* dixit: noxiae poena par [204]
esse debet; sane proportio nulla inter remissionem & criminis gravitatem, ut omnium gentium exempla ostendunt, considerari potest.

Matthias Bortius.

De Legationibus & Legatis. Auctore **Matthia Bortio** Wismar. Megapol.

[Vide supra (pag. 210) Discursus Academici Dom. Arumaei volumen I. Discursus XIV. Continet theses 26 annotatas, quae statim sequuntur sine notis. Exemplum annotationum habes ad thesin XVI.]

p. 321 I. [Introductio in materiam.]

322 II. Legationis & Legati vox ambigua . . (e) nos proprie missionem quandam dicemus quae publico nomine publice suscipitur (f).

324 III. Legatus a Legatione dicitur. Legatio vero a Legendo . . .

IV. Genus Legationis est munus publicum cum dignitate Imperii experte (a).

325 V. Subjectum est persona (a) cui Legatio aptari debet, idonea (b).

328 VI. Objectum sunt res publicae tam bellicae, quam togatae; Adaequatum; quatenus cum exteris (a) pertractandae.

330 VII. Prius quam causas attextemus, Legationis origo seu principium investigandum (a). Ex naturae seu Jure gentium illud (b).

331 VIII. Causa efficiens remota est Respublica (a), proxima (b) mandatum (c).

337 IX. Impulsiva est necessitas (a) Reipublicae, quae expressit Legationem . . . Irritatrix vel in ipso negotio nascitur, vel aliunde infinitis modis sumi potest (b).

X. Instrumentalis est electio Principis, vel cui (a) Princeps aut Respublica facultatem hanc concesserit. (b) Interdum etiam sors (c).

338 XI. Finis vel generalis est salus & commodum Reipublicae vel specialis (a).

339 XII. Ex hisce jam allatis sua sponte exsursit definitio, (a) quod Legatio sit munus publicum personae idoneae, circa res

publicas apud exteros tractandas, a Principe mandatum ad salutem Reipublicae.

XIII. Videamus adhuc Legationis partes, requisita, Jura & divisiones. Partes tres sunt: Mandati expositio (a), Responsi exactio, tum notatio (b), & renunciatio (c).

XIV. Propria considerantur vel respectu ipsius Legationis, 342
vel respectu Legati. Ipsius Legationis proprium requisitum est vel primarium, ut Fides (a), vel secundarium (b) idque triplex, ut Prudentia (c), fortitudo (d), & temperantia (e).

XV. Respectu Legati (a) requisita duplicia sunt, vel enim 346
ipsum parant subjectum (b), vel tanquam Emblemata (c) habili accedunt subjecto, uti sunt Politices (d) & historiarum cognitio (e), eloquentia (f) & eruditio (g).

XVI. Effectus sequitur, qui jus Legati, quod ex superiori- 348
bus promanat, declarat. Jus illud (a) in Legati persona (b), in rebus (c), in actionibus (d) consistit.

[Notae ad hanc thesin pp. 348—360:]

... (c) In persona Legati considerabimus securitatem, immunitatem & 349
existimationem. Securitas quam imperiti salvum conductum, salvam guardiam, quamvis quidem haec distinguant, alii fidem publicam dicunt ... debetur Legato ... Manetque hoc jus Legatis inter medios hostes, ubivis locorum, quo scilicet ut Legati missi sunt. At quid de iis Legatis fiet, qui transeunt fines tertii, ad quem missi non sunt? [Sententia Gentilis & Kirchneri.] Ego neutri sic credo, Jus singulare seu privilegium, etsi certis personis datum & scriptum sit, *l. 2 C. de legibus,* adversus tamen omnes, si id a jure civili, cives, si a jure gentium, homines, sic intelligitur constitutum, ut vel retractari a quoquam vel imminui nullo modo debeat .... Etsi itaque proprie Legationum jus cum tertio non sit, 350
est tamen ad hoc, ut is tollere illud, aut impedire minime queat, nisi statui suae Reip. ab ista Legatione timeat, aut ad injuriam suam Legationem spectare videat .... Unde factum Landgravii in intercipiendo 351
Ducis Brunswic. Legato probo, de quo Sleidanus, *lib. 12. p. 339* .... In gefehrlichen, forglichen und Kriegszeiten mögen Legaten befucht und ihre Brieffe erbrochen werden ... Hisce tamen casibus arbitror durius cum Legatis agendum non esse, quam ut dimittantur. [Rinco & Fregosius] ....

II. Quando fit reus criminis & convincitur ... Par enim | hoc jus 353
est Legatis & contra Legatos. Quae vero ex jure gentium non sunt, nec 354
eodem puniuntur, Legatis ad hoc non obsunt. Ex quo ad quaestionem illam, an teneatur Legatus laesae Majestatis si in Principem conjuraverit, socium vel participem se praebuit, respondemus non teneri. Quia poena illa, quae hic affectum punit, est solius juris Civilis, non gentium ... Jus gentium id quod factum non est, ut factum non punit. Est enim contra naturalem rationem. [De sessionum praerogativa certamina.]

XVII. Divisio perfecta Legationis ... Legatio principaliter 360
sic dicta, de qua hactenus, & Legatio Provincialium (a).

361 XVIII. Imperfecta varia & multiplex est. Recensebo praecipuas. Ab objecto est illa, qua alia sacra (a), alia Politica audit, quarum haec vicissim distinguitur in bellicam (b), & pacificatoriam (c).

362 XIX. Respectu causae impulsivae alia Legatio negotiosa, alia officiosa non absurde dici posset (a). Finis intuitu aliam factitiam, aliam verbalem, aliam mixtam nobis appellare liceat (b). Ratione circumstantiarum aliam ordinariam, aliam extraordinariam (c), vel denique ex adjunctis aliam solemnem (d), aliam minus solemnem faciemus.

363 XX. Habuimus hactenus ab interna dispositione constitutam Legationem, paucis de his videamus, quae non in ipsa Legatione, sed circa eam exterius sunt . . . .

364 XXI. Adjungebantur olim varia Legatis, tanquam solemnia, ut verbenae, gramen, sagmina, silices . . & infinita alia (a). Hodie Heroldis paludamenta (b), caeteris patrius amictus (c) loco solemnium.

365–6 XXII. Quae antecedunt Legationis actum, sunt justi apparatus (a). Est itineris ingressio & confectio (b). Est admissio Legati & exceptio (c), accersitio & ingressio ad exponendum mandatum (d).

369 XXIII. Connexum est Legati conversatio cum domestica (a), tum externa.

370 XXIV. Consequens est honorifica dimissio (a) & domum reditio (b).

371 XXV. Cognata restant & opposita. Illa ut multis conveniunt, ita in pluribus (a) discrepant.

[Nota. Tales sunt Nuncii, Interpretes, Procuratores, Commissarii, Deputati, Obsides].

372 XXVI. Oppsita aut privationem, quae est vel rei ipsius, vel aliunde provenit. Ipsius rei: interitus & finis naturalis (a) aliunde: vel Legati morte (b), vel domini voluntate (c), vel vi aliorum (d), aut contrarietatem spectant (e).

Joh. Gryphiander

(Respondens: **Ge. Schubhard.**)

De legatis. Praeside Dn. **Joanne Gryphiandro.** Respondente **Georgio Schubhardo.**

[Vide supra, p. 210, Discursuum Academicorum Arumaei volumen I, discursus XXIX. Continet conclusiones XIII cum notis.]

Edit, 1621. p. 804

Conclusio I. Legati (a) aestimantur & censentur, vel jure communi, vel proprio: illo modo jure Gentium (b): hoc vero jure quo nos utimur; quod vel Canonicum (c) vel Caesareum (d). Caesareum est vel publicum, vel privatum. Et qui hujusmodi jure censentur, sunt muniti jurisdictione (e) vel non: hi vel aliena (f) vel propria negotia tractant (g).

806 Conclusio II. Legatos vel a legendo, hoc est, eligendo; vel legando, id est, mittendo nomen sortitos autumnant.

Conclusio III. Est autem Legatus mandatarius, ab eo qui potestatem legandi habet, ad sui similem publico negotio ad salutem Reipublicae conficiendo solenniter missus. [Nota].

807 Conclusio IV. Legatus est vel Togatus, vel Sagatus (a). Togatus est qui tempore pacis . . . mittitur. Mittitur autem vel negotii (b) vel honoris (c) gratia. Qui negotii causa mittitur est vel perpetuus (d) vel temporaneus (e). Sagatus est qui tempore belli . . . mittitur (f).

808 . . . (d) Perpetuum vulgo Residentem vel Agentem indigitant, cui nihil certi & in specie demandatur, sed certo loco & tempore subsistere, 809 attentoque animo oculisque perspicacibus singula observare, observata Principi referre, nec quicquam, nisi quod e re mittentis sit, fieri pati jubentur. Multum tamen differt inter hunc & illos, de quibus est titulus in *C. de agentibus in rebus.* Hoc genus Legatorum veteribus ignotum fuisse plurimi Politicorum statuunt. Hinc quidam huiusmodi Legationem non admittunt, quemadmodum de Henrico VII Angliae Rege A. Gentilis *2 de legat. 12* scriptum reliquit. Sic literatissimus Kirchnerus d. l. hanc legationem non agnoscit pro legitima, ductus rationibus & *l. 4 C. de*

commerc., ubi Imperatores rescripserunt, neminem in alterius provincia jure legationis residere posse. A quo discedit B e s o l d u s *cl. 2. disput. 8. thes. 3.* Cui & nos astipulamur. Nec movet quod in contrarium movit Kirchnerus . . Nec refert mutuo pacto eos constitui, quia nec hoc legationem infirmat, sed confirmat, & majoris assecurationis reddit . . Denique impertinenter *d. l. 4* allegatur; non enim de legato ipso loquitur . . . Et posito, sed non concesso, Impp. rescriptum etiam ad legatos extendi, nihilominus Legatos & Legationem non ex Impp. constitutionibus, sed communi gentium conventione legem & interpretationem recipere excipio (e). . .

810 C o n c l. V. Mittendi jus & potestas primario penes eos tantum residet, qui jura Majestatis habent (a), secundario etiam Statibus Imperii (b), augustissimae Nobilitati Franconiae, Sueviae (c), societati Hanseaticae (d) competit.

813 C o n c l. VI. Mittendus ad sui similem, hoc est, nec superiorem nec inferiorem. [Nota].

C o n c l. VII. Mittendus (a) non quilibet (b), sed quem bona qua interna (c) qua externa (d) prae ceteris commendant. Taliter instructus vel invitus (e) hanc provinciam suscipere tenetur.

816 C o n c l. VIII. Materiae vicem obtinent negotia Reipublicae, de quibus supra, *Concl. 4. lit. B.*

C o n c l. IX. Mittendus est solenniter. Solennitas est vel formalis (a), vel accidentalis (b).

819 C o n c l. X. Mittitur ad promovendam salutem Reipublicae.

C o n c l. XI. Missus est vel admittendus (a), admissus mandatum exponat (6), expositi responsionem exposcat (c), vel dimittendus (d), dimissus responsionem mittenti exponat (e).

821 C o n c l. XII. In Legato requirimus Apparatum (a) & jus, quod vel personam (b), vel res spectat (c).

823 . . . (b) . . Quaeritur, an securitas indiscriminatim ubique locorum habeatur? G e n t i l i s *2. c. 3.* stricto jure tantum locum securitati praeberi dicit apud eum, ad quem missus. K i r c h n e r u s contra ubivis locorum & gentium legatos securitatem deberi edisserit *2. c. 1. 2.* 3. *& seqq.* Quod mihi quoque non displicet, si modo Legatus fines juris non egreditur . . . Unde si durante Legatione alicubi deliquerit, in loco delicti contra eum experiri possumus. An vero communiter de omni delicto tenebitur? N. Legatus enim censetur de jure Gentium, ergo de illo tantum delicto, quod jure Gentium puniendum venit, tenebitur. Legatus igitur delinquens, salvo jure Gentium, capi, captus retineri, retentus puniri potest. Heic fere ab omnibus moveri controversia solet: An Legatus conjurans in Principem vel Rempublicam salvo gentium jure plecti possit? [Solvit quaestionem hanc adductis rationibus, quibus argumenta Kirchneri refutantur:] Primo quidem lubenter concediums mente & manu graviorem
824 poenam delicto non esse debere. Sed nihil ad rem praesentem. Quod

secundo loco de prudentia Romana objicit, illud nihil probat, nam non quod factum, sed quod fieri debuerit, attendendum .... Tertio quod de nullitate criminis laesae Maj. producit, illud ipsum facilem ex propriis ipsius verbis ... refutationem recipere potest ... Nam si Majestas etiam exercetur in peregrinos, sequitur etiam, quod crimen l. M. comittatur a peregrinis ... Ergo et Legatus criminis laesae Majestatis reus fieri potest. Quodque quarto apponit Legatum peregrino principi nulla subjectione aut nexu obligatum, eo ipso quoque a veritatis orbita aberrat: siquidem eo ipso dum delinquit, subjectum sese, ipso jure gentium dictamine, reddit. Nam cum omnes pene contractus... obligationes ex jure gentium introductae, sequitur quod & illae, quae ex delicto proveniunt, jure gentium introductae. Quod quinto loco de conjuratione obtendit, quasi illa non in catalogo delictorum apud Gentes reperiatur, a vero dissonum est. Conjuratio etenim jure gentium non postremum delictum habetur .... Rursus cadit sub 825
famigerabilem Quaestionem: an is teneatur Legato securitatem praestare, cujus Legati antea ab ipso violati? Negativam tenent & tuentur Gentilis *2. c. 6.* Kirchner *2. c. 1. n. 170 & seqq.* & Politici communiter. Verum nihil obstantibus negantium rationibus, affirmativa sententia mihi multo mitior & aequior videtur, Besoldus *Cl. 2 disp. 8. th 11. Cl. Dn. Praeceptor* Heiderus *in lect. Polit.* ubi haud inepte & indocte admonet, compensanda esse delicta non aemulatione culpae, sed irrogatione poenae, nec perjuria perjuriis, sed justa discessione a pactis & foederibus ab altera parte rescissis vindicanda....

Conclusio XIII. Contrarii nostro Legato, qui mentitam 827
obtendunt legationem (a) quique speculandi ergo ablegantur (b).

Reinhard König.

(Resp. **Joh. Eppinger.**)

De Legatis & Legationibus. Respondente **Johanne Eppingero.**

[Vide: 1. Acies disputationum Politicarum methodice instructa . . . Quam . . . in illustri Salana Nobiliss. florentiss. Invenes . . . exercitii causa subierunt. Auctore & praeside M. Reinhardo König . . . Editio secunda . . . Jenae, Typis et sumptibus Johannis Beithmanni. Anno CIↃIↃCXIX. In 4°. Reg. Ii_1—Kk_4. — **B. N.** Inv. *E. 431 (2). — *Disputatio XV* De Legatis & Legationibus. Respondente Johanne Eppingero. 2. Discursuum Academicorum Arumaei volumen secundum (supra, p. 210). Discursus XXI De legatis & legationibus M. Reinhardi Königs *(sic)*. (pp. 629—645). Respondentis nomen suppressum. — Disputatio Reinhardi König continet 66 theses et IV Auctuaria.]

Thesis 1. De Legatis & Legationibus sermonem instituturi investigabimus ea, quae tum ad internam tum ad externam eius constitutionem requiruntur . . . definitionem legati . . cum Hermanno Kirchnero damus eiusmodi:

Th. 2. Legatus est mandatarius publico negotio solenniter missus, ab eo, qui potestatem legandi habet.

Th. 3. Legati a legendo dicti. .

Th. 4. [Nomina legatorum varia.]

Th. 5. Eodem modo differentia traditur a Kirchnero . . . inter Legatos Geſandten & Ablegatos. . .

[*Th. 6—19.* Divisio legationum ex objecto. Legatio libera etc.]

Th. 20. A tempore nonnulli Legatos alios faciunt Temporarios, alios Residentes . . . Hos vero qui nec ad definitum certumque negotium, nec ad tempus, sed ad voluntatem mittentis, ex anno in annos, ex lustro in lustra, donec non fiat revocatio, resident, ad omnium rerum, quae in alieno Regno . . . accidunt, curiositatem et explorationem, ut nihil praetermittant, quod principi commodum afferre possit. Tales in Regno suo nunquam fuisse passum ferunt Henricum VIII Regem Angliae Gentil. *2 c. 12. in f.* Hodie vero genere sunt Residentes Galliae et Angliae regum ad Portam Ottomanicam.

Th. 21 Sed tales alii non in genuina Legatorum classe, sed speculatorum censu collocant, cum non tam negotii quam relationis gratia sint missi, neque ex Legati jure, sed ex pacto singulari utriusque partis, variis de causis, ut sint nonnunquam aut foederis inter potentes tanquam obsides.

[*Th. 23—37.* De requisitis, virtutibus & scientiis legatorum.]

[*Th. 38—44.* De securitate & libertate legatorum.]

[*Th. 45.* Legati speculatores securitatem eandem habent. Cum A. Gentili contra Kirchnerum.]

[*Th. 48.* Securi & liberi donec honeste vivunt.]

Th. 49. A ianua ergo abhorrent illi, qui ab omni poena metu & supplicio Legatos eximunt... Quasi vero haec ad licentiam jus gentium violandi extenderetur, in perniciem civium, tum ipsius Principis, ad quem fuere missi.

Th. 50. Examinanda hic venit celebris illa quaestio, agitata in Scholis Politicorum & Iurisconsultorum: An Legato fines mandati egredi liceat? [usque ad thes. 59 affert opiniones & casus.]

Th. 60. Denique quaeritur: An Legati debeant vel possint munera ab illo capere, ad quem fuere missi?...

Th. 66. Quare ita distinguemus: an munera ea mente sint data, ut Legati corrumperentur, an vero ad testificandam benevolentiam & humanitatem. Quod si ergo corruptionis gratia dentur, recusanda, si benevolentiae & honoris, capienda. —

Auctuaria: I. [An civitates & societates Hanseaticae jus legatos mittendi obtineant? Affirmat Bortius, negat Kirchner.]

II. Legatus debet esse Mas non Foemina.

III. [Ad legationem cogi potest, cum legatio juris sit publici.]

IV. Excusationes tamen justae audiendae.

[Hanc disputationem De Legatis & Legationibus Reinhardus König postea in Theatro Politico suo, Parte II, capp. XXXVII—XLII (pp. 254—298) multo auctiorem edidit:]

Theatrum | **Politicum** | **Tripartitum** | ... | Ad praesentem Romani Imperii statum | accomodatum. | ... | Auctore | **M. Reinhardo König** ... Jenae | Typis Johannis Beithmanni .. Anno 1622.

[In-4°. **B.N.** Inv. *E 431. **P.** X $^{VII}/_{5}$ 161.]

[In sequentibus theses 66 Disputationis et capita 5 Partis II Theatri Politici inter se conferuntur:

Disputationis		*Theatri Politici*		
Theses 1—21	haud auctiores distribuuntur in cap.	XXXVII,	numm.	1—46
„ 23—37	aliquot „ „ „ „	XXXVIII	„	1—39
„ 38—47	multo „ „ „ „	XXXIX	„	1—26
„ 48—49	totaliter refectae constituunt caput	XL	„	1—27
„ 50—59	multo auctiores distribuuntur in cap.	XLI	„	1—18
„ 60—66	„ „ „ „ „	XLII	„	1 16]

Joh. Gerhardus.

An Legato mandati fines transgredi liceat?

[Discursuum Academicorum Arumaei volumen IV. Disc. XI. Vide supra, p. 211.]

f. 43 Legati munus est omnia ad praescriptum Imperiumque ejus, qui mandavit, agere . . . Legatus interpres est, an interpres est, qui diversa refert ab eo, quod interpretatur. Cumque Princeps certam formam Legationis praescripserit, certe omnem huiusmodi licentiam ademit, Alber.
f. 43 b. Gentilis *lib. de Legat. c. 16. [Exempla ex historia antiqua.]* Distinguendum tamen videtur inter eum, qui certum mandatum accepit & eum qui iussus agere quod sibi videtur: cavendum etiam, ne aliquid minus honorificum Principi curetur . . .

f. 44 ## An Legati munera accipere possint?

[Discursuum Academicorum Arumaei volumen IV. Disc. XII. Vide supra, p. 211.]

Consuetudo obtinuit, ut legato relinquantur munera, nisi ex qualitate doni aliud praesumatur, Durus de Pascolo, *Aphor. 52.* Valde inhumanum est a nemine accipere, sed passim vilissimum, *aphor. 340.* Lex Atheniensium fuit, ne legati munera acciperent. [Testimonia historicorum.] Dux Moscovitarum auferre Legatis ad se redeuntibus munera omnia solet:
f. 44 b. Jovius *in Icon.* Veneti idem | suis interdicunt . . . Nec res caret ratione . . . Distinguendum tamen inter ea lautia, quae propterea dantur, ut Legati corrumpantur: & inter ea quae honoris ac benevolentiae causa dantur . . . nec omnia, nec quovis tempore, nec ab omnibus: vetus est proverbium Antonini Imper. & extat in *l. solent 6 § 3 de offic. proconsulis.*

Christoph. Besold.

(Respondens: **Jo. Wolfg. Springer.**)

Disputatio Juridico-Politica, de Legatis eorumque Jure. Quam . . . . Moderante . . . . Dn. **Christophoro Besoldo** . . . exercitii gratia . . . publice . . . discutiendam proponit . . . **Joannes Wolfgangus Springer,** Viennâ-Austrius. Tubingae, Typis Theodorici Werlini, Anno M. DC. XVII.

[In 4^{0}; pp 21. Continet theses 51.]

[**M. Un.** Jus 2110 d.]

Thesis 1 [incipit:] Prudens est Cominaei Historici Gallici clarissimi monitum: Congressus Principum valde esse periculosos, cum raro laetos sortiuntur exitus. [Usque ad thesin 50 tractatur de jure & privilegiis legatorum.] *Thesis 51.* An apud legatum Proconsulis manumitti possit?

Fridericus de Marselaer.

1.

KHPYKEION, sive | Legationum Insigne; In duos libros distributum. | CIↃ. DC. XVIII. | Antverpiae Apud Guil. A. Tongris | sub signo Gryphi.

[In 8°; pp. (12) + 251 + (3).]

[**P.** X $^{XXI}/_{7}$ 71; **B. N.** Inv. *E 2333; **Br. M.** 8005. e; **Oxf. B.** Crynes 741; **Madr.**]

[Dedicatio Alberto et Isabellae Archiduc. Austriae, subsignata: „Fred. Marselaer".]

Praefatio . . . Legationis munus arduum, augustum insignire studium fuit: ornare & illustrare KHPYKEION, paucorum antehac manu tractatum, paucorum ingenio expolitum. Quae ipse observari & quae ab aliis didici complexus sum: hoc potissimum fine, ut calamus usui, non usus calamo subserviret . . .

[Elenchus Dissertationum: Libri I dissertationes 40, Libri II diss. 47, quorum ultima est „Ad legatum Paraenesis".]

2.

Frederici De Marselaer | Equitis **Legatus** | Libri Duo | Ad | Philippum IV | Hispaniarum | Regem. | Antverpiae | Ex officina Plantiniana | M. DC. XXVI.

[In-4°; pp. (20) + 500 + (10 = Index) + (4).]

[**P.** X $^{VII}/_{5}$ 269; **B. N.; Br. M.** 595. f. 1; **Oxf. B.** J. J. 36. Jur.: **M. HB.**; **St Gen.; Madr.**]

[Dedicatio Philippo IV, in quo „cohaerent libertas & imperium".]

Lectori . . . Legati munus arduum, augustum, examinare & insigne studium fuit; paucorum antehac manu tractatum, paucorum ingenio expolitum. Res autem spectavi potissimum & secutus sum: utque validius exprimerem, methodo disserere placuit . . hoc nimirum fine, ut calamus usui, non usus calamo subserviret . . . Quae enim Κηρύκειον properarat edere, severius ad limam & lineam revocata recensui . . . Et haec quidem Magnatibus quibusdam ita placuerunt, ut protinus manumittenda fuerint, nisi displicere ipse vellem, qui dignis eorum postulatis haud libenter

quidquam recusem . . . Leges ratio facit & prudentia: hinc meos prope rivulos diductos esse, diligens scrutator animadvertet, unde & leges ipsae formantur & illustrantur . . . [Cardinalem Alphonsum de la Cueva & Dn. Balthasarem de Zuñiga intuitus est dum scriberet.]

[„Series Dissertationum": Lib. I diss. 42, lib. II diss. 48 + Ad legatum Paraenesis.]

3.

[fol. 1] **Fred. a Marselaer Legatus** Amstelodami Apud Jodocum Jansonium 1644. *[Cum effigie legati literas principi tradentis.]*

[fol. 2] **Frederici De Marselaer** Equitis **Legatus.** Libri Duo | Amstelodami | Apud Jodocum Jansonium | CIↃ IↃ CXLIV.

[In - 12°; (ff. 10) + pp. 672 + (ff. 24 = Index).]

[**D.** Al. 1655: **P.** XI $^{XXII}/_{7}$ 40; **Br. M.** 8008. a: **B. N.; M. HB.; Madr.**]

[Haec editio non differt ab anteriori (an. 1626): eadem praefatio „Lectori", eadem series dissertationum. Adiunctum Mnemosynon Frederico de Marselaer.]

4.

[fol. 1] **Fred. a Marselaer** | **Legatus**. Sumptibus Matthaei Birckneri Bibli|opolae Jenensis et Helmstadiensis | Anno 1663. *[Cum eadem effigie legati, ut in superiore editione.]*

[fol. 2] **Frederici De Marselaer** Equitis **Legatus.** Libri Duo | Sumptibus | Matthaei Birckneri | Bibliopolae Jenensis & Helm|stadiensis. | Vinariae, | Typis, Thomae Eylikers, | Anno M DC LXIII.

[In - 12°; (ff. 11) + pp. 672 + (ff. 24 = Index).]

[**D.** IV Gc. 25; **P.** XI $^{XX}/_{7}$ 41; **M. HB.**]

[Editio haec ab editione an. 1644 minime differt: Index rerum etiam reimpressus, qui easdem paginas in utraque editione indicat. Addita est dedicatio Birckneri Joanno Henrico Menio.]

5.

